DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-CHIRVRGICA

DE LVXATIONIBVS GENERATIM

QVAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DOMINO

FRIDERICO

MARGGRAVIO BRANDENBVRGICO PORVSSIAE SILESIAE MAGDEBVRGI DVCE BVRGGRAVIO NORIMBERGENSI RELIQVA CIRCVLI FRANCONICI SVPREMO CAMPI MARESCHALLO ET TRIVM LEGIONVM ET COHORTIVM PRAEFECTO

DIRECTORE GRAVISSIMO
VIRO PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO
DN. DANIELE DE SVPERVILLE
SERENISSIMI PATRIAE PATRIS A CONSILIIS INTIMIS
ACADEMIAE FRIDERICIANAE CANCELLARIO PERPETVO

EX ORDINIS MEDICI CONSENSV
PRAESIDE
DN. MATTHIA GEORGIO PFANNIO
MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS RITE OBTINENDIS

AD D. I. DECEMBR. M DCC XXXXV. H. L. Q. C.

PVBLICO EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR RESPONSVRVS
IOANNES GEORGIVS DEGGELLERVS
SCHAPHVSA-HELVETVS.

ERLANGAE LITTERIS SCHMATZIANIS.

DISSERTATIO MEDICO-CHIRVRGICA INAVGVRALIS
DE
LVXATIONIBVS GENERATIM.

§. I.

DE Luxationibus in genere mihi in ſequentibus acturo, priusquam earundem genuinam indolem et conditionem deſcribere in me ſuſcipiam; neceſſe erit, praemittere partium, in quibus hi morbi ordinarie occurrunt, aliqualem expoſitionem. Et quum generatim oſſa, ſpeciatim vero eorundem articulationes et extremitates Luxationum ſedem unice conſtituant, circa ea, quae in partibus dictis ad ſcopum noſtrum prae reliquis digna notatu a nobis cenſentur, pauciſſimis iam verſabimur.

 §. II.

§. II.

Sunt autem Oſſa partes inter reliquas Machinae humanae duriſſimae, ubivis, ſi dentes, quantum ſuper gingivas eminent, locaque, ubi muſculi inſeruntur, exceperis, acutiſſimi ſenſus membrana quadam, *Perioſtium* dicta, inveſtitae, quibus mediantibus Corpus noſtrum ſuſtinetur ſimulque ex parte munitur. Vt autem haec Oſſa ad exercendas omnes, quae ipſis competunt, actiones apta eſſent, vario utique inter ſe coniungi et combinari debebant modo; non enim unum ſed plura requiſita fuere Oſſa, ne immobilem prorſus Truncum corpus noſtrum ſiſteret. Porro quaedam immobilia, quaedam vero mobilia deſiderabantur Oſſa; ad immobilium Claſſem inter alia referuntur Calvariae Oſſa, quae firmius tutiusque Cerebro praebent Receptaculum, quo minus a vi externa offendi queat. Mobilium ordini adnumerantur imprimis artuum Oſſa, quippe quae propugnaculi vices gerunt, et peragendis varii generis laboribus deſtinata ſunt.

§. III.

Hae Oſſium extremitates (§. I.), quum aliis Oſſibus contiguis diverſimode iungantur, varias conſtituunt eorundem Connexiones, quibus Auctores graeci diverſa impoſuerunt nomina, a figura articuli et medio coniungente plerumque deſumta. Eſt autem generatim omnis Oſſium coniunctio duplex: I) vel *Arthron* ſive *Articulatio*, ubi duorum Oſſium extrema mutuo ſibi reſpondentia ſeſe tangunt, et iuxta ſe invicem moveri queunt, altera parte quieſcente, altera autem circa eius terminum ſupra eundem ſeſe volvente: vel II) *Symphyſis* ſive *Concretio*, quae eſt Connexio ſine motu, et rectius Oſſium iuxta ſe invicem munitio appellanda.

§. IV.

Arthron ſive Articulatio alia eſt 1) *laxa*, ſiue cum motu manifeſto: alia 2) *ſtricta*, ſeu cum motu obſcuro. Articulatio laxa iterum in quatuor diſpeſcitur Claſſes: a) in *Enarthroſin*, ſi caput rotundum alicuius Oſſis alterius ſinui profundo ſeu acetabulo iungitur ac cum eodem firmatur; ſicut in articulatione femoris cum Oſſi-

Oſſibus innominatis videmus. b) In *Arthrodiam*, ubi eiusmodi capitulum non vero in tantum, prout in Enarthroſi elevatum, ſinui ei oppoſito ſuperficialiter excavato implantatur, ut id in iunctura humeri cum Scapula, ſeu proceſſuum Condyloideorum Oſſis occipitis cum prima Colli Vertebra, et digitorum inter ſe invicem deprehendimus. c) In *Ginglymum*, quando extremitates Oſſium ſeſe mutuo ingrediuntur, ſeu dum idem os excipit et excipitur, quemadmodum Vlna et Radius cum oſſe Humeri, et duae ultimae digitorum phalanges inter ſe articulantur. Vbi autem d) Articulatio cum motu quidem manifeſto obſervatur, ea tamen vel ob ſingularem ſtructuram, vel ratione motus aut figurae ita a praecedentibus differt, ut ad nullam dictarum Claſſium ſtricte referri queat, ſed tantummodo cum hac vel illa Articulationis ſpecie aliquid commune habeat; eiusmodi iunctura *Amphiarthroſis* ſive Articulatio dubia nuncupatur, quemadmodum id in Maxilla inferiori cum proceſſibus transverſalibus Oſſium Temporum, neque minus in utraque Colli Vertebra ſuperiori inter ſe invicem contingit. Articulatio denique ſtricta ab Auctoribus Anatomicis in nullas differentes ſubdividitur ſpecies; attamen in quantum obſcuro adhuc gaudet motu, ſimiliter Enarthroſin, Arthrodiam, et Ginglymum ſub ſe comprehendit, eo quidem cum diſcrimine, quod tales non admodum manifeſte obſerventur, ſiquidem in minoribus ſaltem Carpi et Metacarpi, Tarſi et Metatarſi oſſibus, ut et in Coſtarum cum Vertebris coniunctione occurrunt.

§. V.

Coniunctio oſſium per Symphyſin ſeu Vnionem, vel ut alii vocant, per Concretionem modo ſine A) *medio*, modo autem fit B) cum *intermedio* quodam. Symphyſis absque medio triplici contingit modo; et quidem per α) *Suturam*. β) *Harmoniam* vel per γ) *Gomphoſin*. Sutura (*) eſt Connexio oſſium ad inſtar re-

(*) Subdividitur adhuc oſſium coniunctio per ſuturas contingens in diverſas ſpecies: nempe 1.) in ſuturas *veras ſeu proprias* et in 2.) *mendoſas*

rum conſutarum, qualis eſt oſſium Cranii inter ſe coniunctio. Harmonia eſt talis oſſium combinatio, quae per ſimplicem lineam et ſine mutuo extremorum ingreſſu fit, qua ratione pleraque Maxillae ſuperioris et Naſi oſſa connectuntur. Gomphoſis ſive Conclavatio, a Clavo nomen accepit, quoniam os alteri, tanquam clavus infigitur, prout hoc Dentes utriusque Maxillae Alveolis infixi monſtrant. Symphyſis autem cum medio duplex eſt; ſive mediante 1) Cartilagine, ſeu per ita dictam *Synchondroſin*, ut in omnibus oſſium maiorum Epiphyſibus: ſive mediante 2) Ligamento, ſeu per *Synnephroſin*, uti praecipue in oſſium Cranii Infantum et iuncturis artuum omnibus videmus. His denique adnumerari meretur 3) *Syſſarcoſis*, ſeu Coniunctio illa oſſium cum carne; ſicuti os Hyoides Palato, et utriusque lateris ſcapulae coſtis et Spinae Vertebris implantantur.

§. VI.

Quemadmodum autem (ſecundum leges mechanicas) duorum corporum aequaliter duriorum attritus ſucceſſive eorum imminutionem, imo abolitionem inferre valeret; ad id praecavendum, oſſium, imprimis motui dicatorum (§. III. IV.) extremis adhaeret corpus quoddam albicans, lubricum, flexile, e fibris lon-

doſas ſeu ſpurias. Sub nomine ſuturae verae intelligimus eam coniunctionem, qua oſſa ita coëunt, ac ſi duae ſerrae dentatim coniungerentur; ſpuriam vero appellamus illam, qua oſſa ita connectuntur, ut limbus unius oſſis tegat alterius limbum; tali fere modo, ac ſi pauperes et infimae ſortis homines obtegant foramina in ſuis veſtibus tritis ſuperponendo commiſſuram panni. Ad priorem harum claſſem referuntur tres: coronalis nimirum, lambdoides, et ſagittalis: ad poſteriorem vero duae; quaeque etiam a nonnullis dicuntur ſquamoſae et temporales; oſſa Temporum cum oſſibus Sincipitis connectentes. Recenſitarum harum ſuturarum nomina propria haud exiguum omnino quoque in praxi uſum habere ſolent; et frequentiſſime illarum audis fieri mentionem, praecipue in fracturis Cranii, et quibusdam aliis capitis affectibus, celebrandisque variis operationibus chirurgicis, v. gr. in Terebratione Calvariae &c.

longis conſtans, omnique ſenſu expers, quod *Cartilago* nobis dicitur; cuius beneficio tam cavitates, quam oſſium prominentiae inter ſe convenientes obducuntur, eorundem motus ita facilitatur, atque liberior redditur, ut absque ullo incommodo eo magis adminiſtrari queat; quo maiori relative mollitie omnes cartilagines eam ob cauſam gaudent, ut non ſolum extremis oſſium ſeſe promptius applicent, verum et omnes figuras a quacunque vi externa inducendas facilius recipiant. (*)

§. VII.

Humor ille glutinoſus, albicans, ovorum albumini haud abſimilis, et ad ignem in pelliculam facile concreſcens, omni ſapore deſtitutus, in omnibus articulationibus occurrens, multum omnino etiam ad facilitandum et liberiorem oſſium circa articulos motum reddendum confert, dum illiniendo Cartilaginum flexibilitatem et Ligamentorum plicabilitatem conſervat et auget, nec non coalitum et ſtrepitum impedit. Secernitur hic praecipue ope certarum glandularum molliorum, plus minusve ad planitiem inclinantium, articulationum membranoſis capſulis incluſarum, quae mucilaginoſae, vel ab Inventore, qui eas in Oſteologia ſua primo deſcripſit, *Haverianae* vocantur *Glandulae.* Fuerunt quidem nonnulli, qui de illarum in omnibus articulis exiſtentia, ex hac potiſſimum ratione dubitarunt, quoniam easdem non ubique detegere potuerunt: aſt licet quibusdam in locis non ſemper nudis pateant oculis, armatis tamen, riteque ſimul inſtitutis experimentis tam in Ligamentis capſularibus, omnes articulos ambientibus, quam etiam in pinguedine articulis circumfuſa inveniri haud difficulter queunt. Proinde etiam de earundem circa iuncturas praeſentia certiores reddimur in ſtatu praeternaturali ſeu morboſo, ubi interdum ad tantam accreſcunt molem, ut ſuperent piſi ſeminis magnitudinem. Dictum denique Linimentum per

(*) De cartilaginibus generatim notandum, earundem plurimas temporis decurſu degenerare in oſſeam ſubſtantiam; unde cartilaginum numerus in infantibus et iunioribus maior eſt, quam in adultis.

per reiteratum membri motum valde attenuari et ſubtilius reddi; pariterque per Vaſa abſorbentia venis de novo admiſceri, et alior-ſum deferri, obſervatur; ubi interea ſemper iterum nova ac proportionata quantitas ſecernitur.

§. VIII.

Cum circa Articulos porro notanda occurrunt *Ligamenta*, eorundem naturalem conditionem hic pariter pertractare haud incongruum eſſe ducimus. Sunt nimirum Ligamenta Vincula iſta robuſta, ut plurimum membranacea, oſſibus iungendis colligandisque dicata, in quo etiam eorundem primarius, quem praeſtant, uſus conſiſtit. Horum III. communiter numerantur claſſes, quarum *prima* continet *Capſularia* ſive *orbicularia*, quae articulum, ſeu ambas duorum oſſium extremitates circumtegunt, et ad earundem maiorem tam firmationem, quam mobilitatem haud exiguum afferunt auxilium. Ambiunt haec omnes Articulationes, et liquorem unctuoſum, Glandulasque mucilaginoſas (§. antec.) in ſe continent. Oriri videntur partim a perioſtio, partim etiam a membrana adipoſa, ubique fibras muſculares perrepens, ſuperficiemque Tendinum obducens. Ad *alteram* Claſſem referuntur *Ligamenta interna*, *teretia* ſive *rotunda* dicta, quae in iuncturarum interna ſuperficie earundemque communiter centro obſervantur, et ſub capſularibus abſconduntur. Inſerviunt proprie haec ligamenta maiori Articulationis munitioni, quali v. gr. officio fungitur Ligamentum illud teres et oblongum, ex capite oſſis femoris emergens, Acetabuli fere centro inſertum. *Tertia* tandem claſſis complectitur *Ligamenta recta externa*, firmiori inſuper Iuncturarum connexioni deſtinata, et in nonnullis locis Ligamenta capſularia quaſi ſuffulcientia; qualia e. gr. in articulatione Humeri, praeprimis autem in Homoplatae eminentia, Acromion dicta, nec non in Claviculis reperiuntur; ubi ob ſuperficialem et levem horum oſſium contactum ſumme erant neceſſaria. Ceterum omnia haec ligamenta inſigni gaudent elaſticitate, quo facilius eorundem vis, poſita vel nimia extenſione vel fortiori ligamentorum tractione, itidem vel imminui vel augeri poſſit.

§. IX.

§. IX.

Reſtant denique Muſculorum *Tendines* diverſimode pro nimirum Articulationis conditione occurrentes, quippe qui haud parum ad eas firmandas conferunt; quemadmodum id in carpo praecipue, Tarſo, et Tibia, imo in ſingulis digitorum phalangibus obſervamus. Quin et ipſi Muſculi hic non ſunt excludendi, quum ad articulationes firmiores reddendas inſigne quoque praebeant adminiculum.

§. X.

Haec omnia (§. II — IX.) eam ob cauſam praemittenda cenſui, ut exinde ea, quae ad dilucidandas Luxationes, earumque cauſas genuinas explanandas ſpectant, tanto facilius depromere et ad ſcopum noſtrum applicare queamus. Quibus iam praemiſſis, recepto inter diſputantes ordine, nos progreſſuri, initium faciemus cum Affectus noſtri definitione. Eſt autem nobis Luxatio Morbus partium organicarum, in conformatione praeternaturali, ſitu nempe vitiato conſiſtens, in quo oſſa inter ſe contigua e ſede ſua naturali dimoventur; cum impedita partis functione, aliisque ſymptomatibus ſemper coniuncta, et a cauſa violenta externa utplurimum, quandoque aſt rarius ab interna, originem trahens.

§. XI.

His poſitis, donec ulterius progrediamur, monendum ducimus, nos hic ſub generali Luxationis titulo comprehendere omnes illas Dislocationes, quae in duobus vel pluribus oſſibus, ſive motui, ſive aliis corporibus mollibus aut viſceribus nobilioribus includendis deſtinata ſint, eveniunt. Ex quo ſequitur Luxationes non ſolum enaſci poſſe in oſſibus ad motum aptis, verum etiam in illis, ubi neque conſpicuus motus, neque articulatio mutua invenitur. Quo pertinet ſuturarum, quibus Cranii oſſa connectuntur *Dehiſcentia;* fibulae (*) a Tibia ſeceſſus, peculiari

(*) Eiusmodi Peronis a Tibia ſeceſſum quandoque conſociatum videmus in

liari nomine *Diaſtaſis* appellatus; imo ipſa oſſa Naſi, Pubis, Innominata, Coccygis, et Epiphyſes maioribus infantum oſſibus annexae hic non excluduntur, quia ſaepius talium Dislocationum ſeu Luxationum ſubiecta eſſe, experientia docemur.

§ XII.

Dantur quidem nonnulli Auctores, qui putant, ſub Iudice adhuc litem eſſe: an ſcilicet 1) Luxationis vocabulum quadret ad eas oſſium dislocationes, in quibus oſſa, uti modo (§. antecedente) allegavimus, per ſuturam aut harmoniam cohaerentia, a ſe invicem ſecedunt: 2) an Luxatio Tendinibus etiam competat? Dicunt enim in priori caſu ſeceſſum magis eſſe per fracturam, quam per Luxationem, adeoque rectius eiusmodi oſſium morboſam conſtitutionem διάςασιν, hoc eſt, diductionem vel diſtractionem appellandam; obiiciunt porro, quod Luxationis terminus proprie conveniat oſſibus per articulationem cohaerentibus; hinc omnes Luxationes ceu effectum immediatum poſt ſe relinquere ceſſationem eorundem motus, ſeu movendi impotentiam, affirmant. Quod ſecundo Tendinum e ſede ſua ordinaria elapſum attinet, prout talis Bicipitis tendini, e ſinuoſitate vel Canali oſſis Humeri interdum contingit, eundem Luxationum generi eam ob cauſam neutiquam adnumerari poſſe, aſſerunt; quia ex oſſium tam naturaliter connexorum, quam luxatorum paulo altiori indagine hoc refutari poteſt; Tendines enim nec ratione ſubſtantiae et ſitus cum oſſibus eorundemque combinatione, nec ratione dislocationis cum oſſium Luxationibus eoque minus conveniunt, quum e loco in alium penitus transponi nequeant. Si noſtram de utraque controverſia ſententiam ferre licet, Tendinum e ſede ſua exitum Luxationum ordini immerito adſcribi, nos itidem ob datas rationes, affirmamus. Verum priori aſſerto, quippe quod facillime profligari poteſt, veram Fra-

in Luxatione Aſtragali et fractura tibiae prope Malleolum pedis internum contingente. Rarius autem et forſan rariſſime talem diaſtaſin in cubito accidere D. PETIT in Tract. de Morbis oſſium Lib. I. Cap. IX. quam dilucide demonſtrat.

Fracturae indolem paulo ſpecialius ſi inſpexeris, calculum nos haud adiicimus. Eſt enim ſecundum Celeberrimum BOERHAVIVM (*) oſſis fractura eiusdem partium a cohaeſione ſolutio in fragmenta. Quemadmodum vero omnis fractura ſupponit ſolutam Vnitatem, haec autem in oſſium per Symphyſin coniunctorum ſeceſſu non eſt accuſanda, talis dislocatio fracturis iure adnumerari nequit. Et quum e contrario omnis, prout iam (§. IX.) evicimus, Luxatio in praeternaturali oſſium eorundemque circa Extremitates disiunctione, cum impedita vel penitus ceſſante partis dislocatae functione conſiſtat, in determinanda ac rite diiudicanda qualibet Luxationum ſpecie, ſequens pro univerſali valebit regula: Vbicunque in ſtatu naturali eſt oſſium contigua connexio, ſive ea ſit motu praedita, vel eodem deſtituta, ibi in ſtatu praeternaturali fieri poteſt oſſis Luxatio, ſeu iuxta CELSVM emotio vel disiunctio. Atqui Machinae humanae univerſa oſſium compages vel per Arthron ſeu Articulationem (§. III.) vel per Symphyſin aut Vnionem (§. III.) eſt contigua; adeoque unum alterumve horum oſſium, ſi a quacunque cauſa praeternaturaliter ab alterius extremitate vel termino ſeiungitur, luxatum eſſe iure depraedicari poterit.

§. XIII.

Quemadmodum vero duorum aut plurium oſſium Seceſſus non uno ſemper eodemque modo contingit, et Luxationes diverſimode accidere queunt, eas, ut rite a ſe invicem diſtinguamus, neceſſe eſt. Differunt autem vel ratione formae et modi prolabendi, vel ratione ſymptomatum coniunctorum, vel ratione temporis, cauſarum, loci, vel etiam ipſius articulationis, vel ratione ſpecierum per corporis humani partes. 1) Ratione *Formae* differunt gradu, modo enim completae et totales, modo incompletae et partiales exiſtunt. *Completa* ſeu *perfecta* Luxatio, quae Graecis ἐξάρθρημα vocatur, fit, quando altera alicuius oſſis extremitas e cavitate vel termino oſſis vicini, in quo alias vel move-

 tur,

(*) APHORISM. de oſſibus fractis 339.

tur, vel munitur, penitus diſceſſit, eumque non amplius attingit. *Incompleta* vero, Graecis Παράρθρημα audiens, ea nuncupatur Luxatio, ubi dicta extremitas e ſede ſua naturali non plenarie prolapſa eſt, ſed potius adhuc in margine alterius oſſis ſuſtentatur, et ex parte tantum extremi oſſis ſeceſſus obſervatur. Prioris ſpeciei exempla frequentiora occurrunt in Articulatione laxa, v. gr. in oſſe Humeri; poſterioris autem exempla ſiſtunt Articulationes motu obſcuro praeditae, et Ginglymo coniunctae. 2) Ratione *Symptomatum coniunctorum* Dislocatio diſtinguitur vel in ſimplicem vel compoſitam ſive complicatam: *ſimplex* dicitur Luxatio, ſi praeter Os luxatum nulla alia in parte affecta graviora vel extraordinaria adſunt Symptomata, nec alius ibidem affectus praeternaturalis obſervatur; *compoſita* autem vocatur Dislocatio, quae ſimul cum oſſis eiusdem Fractura, vel Vulnere, vel etiam Absceſſu, Vlcere, inſigni Inflammatione, Contuſione &c. iuncta deprehenditur. Sin autem in eodem membro ambae oſſis extremitates fuerint dislocatae, ita ut duplex illius partis oriatur oſſis Receſſus, talem tunc ſpeciem Luxationis non ad claſſem compoſitarum, ſed melius ſimplicium referre poſſumus; ſiquidem in compoſita ſemper ſupponitur aliud morbi genus ſimul concurrens. 3) Ratione *temporis* ſeu *durationis* Luxationes ſunt vel recentes vel inveteratae; *Recentes* nominamus, quae nondum diu exſtiterunt; *inveteratas* autem, quae iam per longum temporis intervallum neglectae atque relictae ſunt. 4) Ratione *Cauſarum*, quo reſpectu ſunt vel externae vel internae; *externa* nuncupatur, quae a cauſa externa violenta, et ſemper repentino actu inducitur; *interna* vero, quae a cauſa interna, articulo inhaerente, originem trahit, quaeque ordinario ſucceſſiva et repens eſt, et utplurimum in Articulatione Femoris cum oſſibus Innominatis, et Humeri cum Omoplata obſervatur. 5) Ratione *loci vicini* prolabuntur aut luxantur oſſa vel antrorſum vel retrorſum, vel ſurſum vel deorſum, vel introrſum vel extrorſum, prout nempe os ad hanc vel iſtam plagam e ſede ſua naturali dimovetur. 6) Ratione ipſius *connexionis* ſeu *articulationis* diverſimode iterum differunt Luxationes; facillime enim contingit oſſium dislocatio in Arthrodia, rarius in Enarthroſi, rariſſime in Ginglymo, Sym-

phy-

phyſi &c. 7) Ratione *ſpecierum* per corporis partes Luxatio occurrit v. gr. in Naſo, oſſibus Cranii, Maxilla inferiori, Vertebris, Coſtis, Femore, Tibia &c. quae Luxationes pro diverſitate dictarum ſpecierum diverſas quoque acquirunt a parte affecta plerumque deſumtas denominationes. (*)

§. XIV.

Haec, quae paulo ante finem (§. anteced. n.6.) poſuimus, ne ſine ratione adduxiſſe videamur, argumenta aſſertum noſtrum corroborantia in medium proferamus neceſſe eſt. Quod itaque Enarthroſin primo ſpectat, in ea dearticulationem haud absque ſumma difficultate accidere poſſe, ipſa nos edocet eiusmodi Iuncturae ſtructura. Eſt enim cavitas oſſis alterius admodum profunda, quae, quanquam non omnis ab oſſe formetur, capitulum tamen oſſis oppoſiti arctiſſime complectitur atque recondit, quia margo eiusdem in toto ſinus ambitu cartilagineus eandem non parum adauget. Quo maior autem (ſecundum leges phyſicas) duorum corporum ſeſe invicem tangentium ſuperficies, eo maior quoque cohaeſio, eoque difficilior eorundem ſeiunctio; quum e contrario duo corpora non niſi per punctum veluti ſe attingentia, levi negotio a ſe invicem disiungi queant.

§. XV.

Verum dum Luxationem difficulter in Enarthroſi fieri (§. antec.) pronunciamus, illud tantum intellectum volumus de ea dislocatione, quae cauſis externis debetur; eam enim, quae ab in-

(*) Agunt hac de re praecipue HEISTERVS in Inſtitutionibus chirurgicis. *Iohannes Baptiſta* VERDVCIVS in Tract. de Fract. Luxat. et Deligat. PETIT in Tractat. de Morbis Oſſium. IVNCKER in Conſpect. Chirurg. Videri porro meretur Clariſſ. Berolinenſium ELLERI Conſiliarii et Archiatr. Regii Colleg. chirurgicum, ſub Titulo Therapia externa. Item B. *Friderici* HOFFMANNI Diſſert. de Luxat. Syntheſi. SALTZMANNI Diſſert. de Luxat. Femoris rariore. Ita et ſpeciatim de Luxat. Vertebrarum agit in peculiari Diſſertatione *Tobias* DEGGELLERVS.

interna dependet cauſa, a humoribus ſcilicet pituitoſis ad articulum talem nimis affluentibus, prout ſaepius id in Cacochymia pituitoſa ſeu ſeroſa contingit, oriri haud raro poſſe infra (§. XXXIII. ſeq.) ſtatuemus. Ita quoque porro ſcitu dignum eſt, quod ſi quae in hoc articulo occurrat Luxatio, ea fere ſemper et utplurimum perfecta deprehendatur; imperfectam enim in Enarthroſi aeque ac in Arthrodia vix habere locum, e diſcrimine, quo in completam et incompletam Dislocatio omnis (§. XIII.) diſtinguitur, ſatis ſuperque patebit; in Subluxatione enim capita ſeu extrema oſſium non omnino, ſed ex parte tantum e ſede ſua naturali dimoventur, ita ut extrema oſſium ſe invicem aliquatenus tangant. Iam ſi naturam ſtatumque harum articulationum paulo accuratius intuemur, haud difficulter iudicabimus, duo oſſa hac ratione inter ſe iuncta Luxationem imperfectam vix ac ne vix quidem ſufferre poſſe; Capita enim horum oſſium plerumque adeo ſunt polita atque rotunda, ut in margine alterius oſſis valde acuto ſtare vel ſubſiſtere nequeant, ſed impetu remittente, actione ſimul concurrente Muſculorum adiacentium vel in priſtinam ſuam cavitatem relabentur, vel extra naturalem ſedem penitus procident; prout id PARAEVS (*), HEISTERVS (**), PETIT (***) aliique abunde monſtrant.

§. XVI.

Sic etiam Disquiſitio anatomica nobis ſuadet, oſſa per Ginglymum inter ſe invicem connexa (§. XIII.) rarius, imo rariſſime penitus diſcedere poſſe; id quod ſequentibus innititur cauſis: 1) enim ligamenta, licet ad fortitudinem Enarthroſeos non accedant, ſatis tamen fortiter in ginglymo alligantur toti huius Articulationis peripheriae. 2) Plures relative in ginglymorum articulationibus conſpiciuntur eminentiae atque cavitates. 3) Duo in his articulis ſolummodo dantur motus, flexionis nimirum et ex-

(*) OPER. *Lib.* XV. *Cap.* XXXIX.
(**) INSTITVT. CHIRVRG. P. I. *Lib.* III. *Cap* X. §. 3.
(***) TRACTAT. DE MORB. OSSIVM *Lib.* I. *Cap.* I.

extenſionis, qui vero in reliquis ad omnia latera peraguntur, prout huius rei aetiologiam ſatis prolixe tradidit IVNCKERVS in Conſpect. Chirurg. (*) neque minus PETIT in Tractatu ſuo de Morbis oſſium (**). Hanc etſi rarius ob dictas cauſas contingere Luxationum ſpeciem poſuerimus, eandem tamen accidere omnino poſſe, et revera contigiſſe, obſervationes variae loquuntur. Verum ſi completa ex quacunque cauſa oritur talis oſſium dislocatio, ea utplurimum ſine membri exitio, ex hac potiſſimum ratione, fieri nequit, quia Ligamenta, Tendines, Vaſa, ipſaque Integumenta ob nimiam, quam os ſub plenaria Luxatione ſuſtinet extenſionem, fere ſemper quoad maximam partem deſtruuntur. Pari ratione articulationes, Synarthroſes dictae ad completas Luxationes haud proclives ſunt (§. XIII.), ſiquidem in illis figura oſſium circa extremitates comparative plana, a ligamentis robuſtioribus et compactioribus, ſtrictior tenetur, ita ut oſſa arctiori tali nexu gaudentia non niſi ſumma violentia, qua Ligamentorum ea firmantium ruptura quam frequentiſſime inducitur, e ſede naturali eiici queant. Subluxationem vero in eiusmodi articulis prae aliis locum habere, docet experientia non ſolum, verum etiam eorundem ſtructura; ubi tamen notandum, in ginglymis magis antrorſum et retrorſum, quam introrſum et extrorſum fieri talem ſubluxationem; ſiquidem ad prius maior aptitudo figurae oſſium, prout id e. gr. in altera et tertia digitorum phalange obſervamus, offenditur.

§. XVII.

Inter omnes vero corporis noſtri articulationes nulla ad dislocandum aptior (§. XIII.) eſſe videtur, quam arthrodia, id quod ipſa eius conditio atque ſtructura ſatis ac abunde monſtrat. Hanc enim ſi accurate intuemur, deprehendemus illic capitum et ſinuum oſſium minus, quam in Enarthroſi rotundam ac profundam conformationem, atque Ligamenta talem Articulum circum ambientia ma-

(*) TABVL. LXIV.
(**) *Lib.* I. *Cap.* I.

magis, quam reliqua extenſa atque tenuiora, quippe quae oſſi faciliorem elabendi viam permittunt; imo quoque motus ab hac ipſa articulatione dependens, quia liberrimus eſt; atque verſus omnem plagam poſſibilis, dearticulationis facilitatem adiuvat. Inter alios quoque Articulos facilius a vi externa dislocantur illi, qui paucis circumdati ſunt Muſculis, quoniam violentiae externae cum maiori impetu in eos immediate agere poſſunt; quod quidem non fieret, ſi eiusmodi articulationes partibus muſculoſis largius dotatae eſſent. E phyſicis enim conſtat, omne corpus in aliud violenter ac immediate agens, tantum a viribus amittere, quantum virtutis eidem tribuit.

§. XVIII.

Differentiis Luxationum explicatis, proximum nunc erit, ut ſigna earum diagnoſtica, ſine quibus de Luxationum praeſentia certiores fieri haud poſſumus, ſigillatim proponamus. Facilis quidem atque clara earum interdum eſt cognitio, interdum tamen iudicioſe expiſcanda, perquirendo nimirum totum membrum laeſum, an aliquae inaequalitates vel in profundo, vel in ſuperficie alibique animadverti queant. Imprimis autem tam ex aegrotantium relatione, quam per ſenſus externos Medico innoteſcit Luxatio. Nemo interim ſane in Affectibus noſtris rite cognoſcendis erit aptus, niſi antea Anatomen, et praecipue veram iuncturarum ſtructuram ac naturalem illarum connexionem bene calleat. Ex hac enim notitia anatomica, Chirurgo perquam neceſſaria, varia Luxationum genera, et diverſa, quibus ſeſe manifeſtant, indicia atque ſymptomata facilius diiudicari, atque a ſe invicem diſcerni poterunt.

§. XIX.

Sunt autem praecipue Luxationum *Signa* vel *generalia*, quae in omni Luxatione occurrunt; vel *ſpecialia*, certis ſolummodo Dislocationum ſpeciebus propria, illasque ab aliis diſtinguentia. Ad generaliora ſpectant 1) Actio partis laeſa, quae modo partialis, modo totalis eſt, prout nempe extremum oſſis luxati plus minusve a naturali ſuo ſitu diſtat, et membri figura magis minusve

nusve pervertitur. 2) Mutatio figurae naturalis in parte laeſa; in uno enim latere, ad quod luxatum oſſis extremum excuſſum eſt, tumor maior in macilentis, minor in muſculoſis et obeſis obſervatur, in altera contra et oppoſita plaga cavitatem cernimus. 3) Membri luxati vel acurtatio vel elongatio; acurtatio fit, quando pars ad quam os proſiliit, profundior exiſtit; cum ex adverſo pars, luxata longior evadit, ſi ea eminentior, quam naturalis oſſis ſitus deprehenditur; id quod imprimis ex comparatione partis oppoſitae, utpote ſanae eluceſcit. 4) Dolor: qui, quanquam in nonnullis Luxationibus vix ab aegroto percipitur, aliqualis tamen exiſtit, et ſaltem in contrectatione partis dislocatae ſeſe manifeſtat. Et haec ſigna Luxationes dignoſcendi ſemper omnique in caſu occurrent atque erunt conſpicua.

§. XX.

Progredimur nunc ad ea, quae Dislocationum ſpecies a ſe invicem diſtinguunt; et quidem Luxationem completam quod attinet, ſequentia eandem indicabunt: 1) in omni perfecta Luxatione figura partis naturalis maxime pervertitur, quia Os a ſede ſua ordinaria plerumque longiſſime diſtat. 2) Functio partis naturalis inſigniter laeſa eſt et totaliter fere abolita. 3) Pars luxata aegre ad plagam conſuetam vertitur, et non niſi cum inſigni dolore eo flecti poteſt, hinc etiam eiusmodi membrum laeſum magis evadit immobile. 4) Ob maximam quoque Muſculorum, Tendinum, Ligamentorum ac Nervorum, a capite oſſis factam extenſionem atque compreſſionem, vehementiores ſemper, quam in incompleta, oriuntur dolores. 5) Tandem Auctores fere omnes in eo conveniunt, quod in completa Luxatione, niſi ea a Ligamentorum laxitate, vel Muſculorum relaxatione contingat, membrum tale ſemper, vel ſaltem plerumque brevius evadat. Verum abbreviationem partis in Luxatione completa ſignum eſſe maxime dubium, eam ob cauſam cenſemus, cum ex anatomicis conſtet, Articulos, qui prae aliis perfectam dearticulationem ſufferre valent, ita eſſe fabricatos, ut ſi in illis totalis Luxatio occurat, pars affecta fere ſemper longior evadat; ſumamus enim e. g. articulationem Humeri, quippe quae ob datas

C (§. XVII.)

(§. XVII.) rationes omnium frequentiſſime penitus luxatur, et ponamus Luxationem in illa contigiſſe directe deorſum, ita ut nimirum oſſis capitulum ſub ala ſentiatur; nonne tunc Brachium altero longius neceſſario fieri ratio dictitat? Idem quoque ſentiendum, ſi deorſum et extrorſum ſimul facta eſt talis Luxatio, quanquam, quod bene notandum, in hoc caſu longitudo non ad illam accedat, quae in dearticulatione directe deorſum facta occurrit, verſus inferiora et interiora autem protruſum brachium modo longius, modo vero, aſt raro brevius evadit. Verſus ſuperiora denique ob ſingularem partium conditionem, et peculiarem, qua gaudet, articulus ſtructuram, dearticulatio fieri non poterit. Ita et ſententiam noſtram ulterius declarat Luxatio oſſis femoris, ubi eam quidem dearticulationis ſpeciem intelligimus, quae oblique verſus Foramen ovale accidit, quia ibidem ob partium ſtructuram, omnium facillimam eſſe, deprehendimus. Et ſi eiusmodi dearticulationem paulo accuratius inſpexeris, ſemper invenies, femur altero longius fieri debere. Ex quibus iam allatis ſequitur, partis laeſae abbreviationem neutiquam Luxationis completae ſignum eſſe pathognomonicum.

§. XXI.

Ad incompletae Luxationis ſigna referuntur ſequentia: 1) quando locus articulationis eminentior eſt, et magis quam alias elevatus; quia oſſis extremum adhuc in margine alterius ſubſiſtit. 2) Si membri figura et ſitus parum a forma et ſitu ſuo naturali differt, quoniam dislocatum Os a centro ſedis ordinariae minus, quam in completa declinatur; quam ob cauſam 3) dearticulatae partis functio non penitus aboletur, et membra talia ex parte adhuc moveri poſſunt. 4) Dolores itidem, quanquam aegrotum admodum urgeant, ea tamen, qua in perfecta Luxatione, non ſaeviunt vehementia. Dantur quidem Auctores, in contrariam abeuntes ſententiam, dum imperfectae Luxationi graviores, quam perfectae, ex ea potiſſimum cauſſa, tribuunt dolores, quia in illa caput oſſis margini alterius adhuc incumbens, Muſculorum Tendinibus atque Ligamentis maiorem, quam in hac tenſionem, conſequenter etiam exquiſitiorem doloris ſenſationem inferre

pu-

putant. Verum levioris omnino momenti eiusmodi eſſe argumentum, is facile iudicabit, qui perpendit, quantum os complete luxatum, habito ad incompletam Luxationem reſpectu, a centro cavitatis naturalis diſtet, et quam magna relative in alterutro latere Muſculorum aeque ac Ligamentorum tali modo oriri debeat extenſio et ſic quoque dolor.

§. XXII.

Reſpectu cauſarum Diagnoſis quoque diverſimode ſeſe habet. Luxatio enim a cauſa violenta externa producta, ſymptomatibus longe gravioribus, prae ea ſemper ſtipata eſt, quae a cauſa interna dependet. Porro talis Luxatio ſemper fit actu repentino, prout id et reliqua occaſionaliter eiusmodi malum efficientia ex aegrotantium ipſa relatione ſatis eluceſcunt. Si autem a cauſa interna originem duxit Luxatio, nullus plerumque ſentitur dolor, niſi a violenta membri extenſione, vel ab humorum acrimonia, ubi tamen ſummus eſt et conſtans, is forſan excitetur.

§. XXIII.

A ſola Ligamentorum et Muſculorum laxitate proveniens Luxatio cognoſcitur: 1) Quando Ligamenta flaccida ſunt, et membrum facile huc illuc movetur, ac ſi eſſet paralyticum. 2) Quando pars affecta inſenſibilitate quadam corripitur. 3) Si paralyſi, quae nunc maiori, nunc autem minori gradu exiſtit, revera laborat eiusmodi membrum. 4) Quando ſpatium quoddam in circumferentia articulationis, inter oſſis capitulum et alterius cavitatem percipitur. 5) Quando os tale luxatum facile quidem reponi poteſt, verum etiam a vi minima e cavitate ſua naturali rurſus elabitur.

§. XXIV.

Luxatio vero a materia quadam articulo inhaerente, generatim iudicatur: 1) Si partis ante luxatae reſtauratio difficulter contingit; praeſertim in Articulis partium muſculoſarum copia deſtitutis. 2) Si pars dislocata ultra morem longior evadit, prout talem elongationem in omnibus fere Luxationibus internis obſervamus. Quando autem in ſpecie a materia tophacea duriori

os eiectum fuit: a) articulus gracilimus atque ſicciſſimus deprehenditur. b) Iunctura neque ab aegro, neque ab adſtantibus violentiori quoque manu tentamen inſtituentibus, moveri patitur. c) Ipſius partis luxatae extenuatio atque gracilitas perpetua eſt. d) Nullam, e qua os ſeceſſit, cavitatem percipimus, quia callo eſt impleta. e) Denique plerumque praeceſſit medicamentorum incraſſantium et exſiccantium nimius uſus. An vero ab Humoris glutinoſi Haveriani (§. VII.) accumulatione, vel a molliori callo proveniat Luxatio, convincimur: α) Si eiusmodi membrum diu antea in quiete fuit ſervatum. β) Quando aliqualem adhuc motum haud reſpuit. γ) Si ope digiti, parti laeſae applicati, tumor obſervatur mollis, et tactui minus reſiſtens. δ) Tandem a nimia, qua ſcatet eiusmodi aegrotans humorum abundantia, ea cognoſcitur Luxatio. Ratione loci, in quem os luxatum ſeceſſit, prout nempe id ad hanc vel illam plagam (§. XIII.) inclinat, diverſa iterum occurrunt ſigna, quae tamen a ſe invicem partim e tumore, et oppoſiti lateris cavitate, partim e directione ipſa oſſis luxati, facile diſcerni poterunt.

§. XXV.

Verum enim vero ea Dislocatio, quae in Infantibus, rarius quidem, quandoque tamen occurrit; ubi nimirum caput oſſis alicuius in cavitate ſua quidem adhuc haeret, eius ſynchondroſis autem, qua mediante dictum capitulum cum proprio ſuo oſſe connectitur, penitus diſſoluta et divulſa animadvertitur, cognitu difficillima eſt. Nam quis certo determinare valebit, utrum totum capitulum exciderit, an vero aliqua eiusdem portio relicta fuerit? Recte itaque pronunciat PARAEVS (*), hanc Epiphyſeos a capite oſſis principalis ſeparationem Chirurgos aliquando fefelliſſe, non eiusmodi divulſionem, ſed veram Luxationem ſubeſſe minus rite putantes. Interim tamen hancce Luxationem a reliquis aliquatenus diſcerni poſſe cenſeo, et quidem primo ex aetate, dum non in ſenibus, ſed in pueris atque iunioribus ſubiectis,

(*) OPER. *Lib.* XIV. *Cap.* 21.

iectis, ante illud imprimis tempus, quo epiphyſes cum corporibus oſſium concreſcere ſolent, contingere poteſt. Deinde neceſſe eſt, ut cauſa quaedam externa ſit praegreſſa; ſub violenta enim articuli commotione, quia Ligamenta ſana Oſſium extremitates in cavitatibus ſuis fortiter retinent, citius a corpore ſolutio epiphyſis, quam vera continget Luxatio; a cauſa interna e contrario eiusmodi laeſio vix ac ne vix quidem oriri poterit, Ligamenta enim facilius relaxantur, adeoque potius Luxatio enaſcitur, quam Epiphyſeos a corpore oſſis principalis receſſus.

§. XXVI.

Licet vero hucusque (§. XVIII—XXV.) probaverimus, dari revera Luxationum quaedam ſigna infallibilia; non tamen prorſus negare volumus, Luxationes interdum difficulter admodum cognoſci, et ab aliis affectibus diſtingui poſſe, ſicuti talis caſus PARAEO (*) Chirurgo ſui temporis praeſtantiſſimo accidit, et obſervationes, utut non frequentes, tale quid affirmant, inter quas ſaltem memorare hic lubet Luxationem a mala conformatione exortam; haec enim vix cognoſcitur in corpore vivo, ſicut obſervatio a KERKRINGIO in Spicilegio ſuo anatomico (**) ſatis id teſtatur. Et quamvis in hoc paſſu aliquid lucis etiam dare videatur parentum diſpoſitio, quando ſcilicet claudicantes a claudican-

(*) Loco citato. Videatur de hac re porro SCHENKIVS in *Obſerv. Lib.* V. p. 739. Fatetur etiam ſe aeque ac alios aliquando deceptos fuiſſe D. PETIT *Pathol. Chir.* T. I. P. II. Cap. 2. §. 13. Quid enim mirum, quando harum rerum non ſatis gnari et male inſtructi Artifices in eiusmodi caſibus, pro Luxatione accuſant vel Fracturam, vel inepte et frivole effutiunt affectum catarrhalem, cum tamen, ſi ratio atque experientia conſulatur, res videatur multo alia. Vel ex adverſo Fracturam, vel alium p. n. Articulorum tumorem promiscue pro Luxatione habent, et hac mente aegros violentis manuum extenſionibus, et crudelibus Machinis miſere torquent. Optandum quam maxime itaque eſſet, ut Chirurgi tales ab hisce curationibus prorſus abſtinerent, quia congruens tractatio ab iis aequa lance penſitari haud poteſt.

(**) *Obſervat.* 61.

dicantibus generantur, et eiusmodi vitium per haereditatem quaſi in prolem transfertur; ſignum tamen hocce minime erit infallibile, quia experientia multoties iam contrarium docuit, et eiusmodi notabile exemplum annotavit inter alios BORELLVS (*). Tandem quilibet in rebus chirurgicis non plane hoſpes facile iudicabit, quantum requiratur laboris in hominibus lacertoſis atque obeſis, oſſis femoris Luxationem a Fractura eiusdem colli rite diſcernere. Et certe cautiſſimos iam fefellit utriusque mali inquiſitio; ob craſſitiem enim muſculorum hunc articulum ubique ambientium, malum neque contrectatione, neque inſpectione recte explorari poteſt; unde etiam ſi hos illosve caeteroquin exquiſitiſſimos chirurgicarum rerum Scriptores conſuleris, ſemper invenies eosdem in diverſiſſimas hac in re abiiſſe ſententias.

§. XXVII.

Verum cum in certis quibusdam Luxationibus, praeter dolorem et actionem partis impeditam, nulla alia quandoque ſigna adſint pathognomonica; quaeſtio moveri poterit, an tunc pars habenda ſit pro vera luxata, adeoque repoſitio eacum tentanda, nec ne? Quidam in partem affirmativam abeuntes, obiiciunt, per tentatam repoſitionem praeter dolorem nullum aliud malum aegrotanti inferri; hinc melius eſſe, quum omnis Luxatio per totum vitae ſpatium naturalem, membro competentem functionem tollit, in caſu dubio aliquem perferre dolorem, etſi, prout contingere poſſet, ſuperfluum, quam per integrum vitae tempus actionis carere integritate. Nos vero ita de hac re ſentimus: 1) Neminem, iuxta tritum illud proverbium, niſi antea morbum bene cognoverit, eundem recte curare poſſe. 2) Aſſertum hocce, quod ſcilicet aegrotanti, praeter dolorem, nullum inferatur malum, omnino eſſe falſum, quoniam experientia ſiniſtrum ſaepius ab eiusmodi tentamine eventum docuit, prout varia exempla in Obſervatorum ſcriptis paſſim proſtant, et inter alios HILDANVS.(**) dignum notatu caſum allegavit. Sit enim

(*) *Cent.* I. *Obſerv.* 7.
(**) *Cent.* VI. Obſervat. ultima.

enim e. c. Luxatio a mala oſſium conformatione nata, quae uti (§. antec.) monſtravimus, difficilis cognitu eſt, difficiliorque curatu, nonne tentata in hoc caſu partis affectae extenſio, praecipue ubi ea conſilio ſubitaneo et tumultuario ſuſcipitur, maiorem laeſo membro inferre valebit noxam, quam levamen? Vel ponamus actionem partis laeſae impeditam pariter ac dolorem dependere a ſola partium articulum talem circumambientium contuſione et violenta fibrarum dilaceratione, quem morbum alii Luxationem notham ſeu ſpuriam vocant, ob magnam, quam habet, cum vera Luxatione convenientiam, etſi proprie non ſit Luxatio, ſed violenta partium diſtenſio, et quaedam quaſi in latum et longum Ligamentorum nervoſarumque partium, quae articulos continent ac devinciunt, divaricatio atque exſolutio; ſponte iterum tunc fluit, nullam repoſitionem, per extenſionem, locum hic invenire. Ex quibus iunctim ſumtis recte concludimus, quando in corporibus apprime obeſis, aut aliis in caſibus dubiis, praeter dolorem et laeſam partis functionem, nullum aliud adeſt infallibile Luxationis criterium, nullam extenſionem, et ſic quoque nullam tentandam eſſe repoſitionem.

§. XXVIII.

Miſſis his, ad *cauſas* Luxationum eruendas nos accingimus, ubi tamen generatim notandum, easdem eſſe duplices, *externas* ſcilicet et *internas*.

§. XXIX.

Quod ad *externas* primo attinet *cauſas*; huc imprimis numerari merentur omnes corpori noſtro, violento modo, applicatae vires, gravitate vel velocitate iuſto maiori agentes, quorſum ſpectant caſus ab alto, vel lapſus vehementior, ictus et contuſiones graviores, omnes violentae tenſiones, contorſiones, tractus et ſaltus iuſto fortiores; vires corporis ad alia corpora maiora movenda magisque reſiſtentia ultra modum intenſae; aliaeque ſimiles cauſae occaſionales, quae oſſium extrema e ſedibus ſuis aut ſinubus excedere cogunt, huc referri poſſunt; id quod tanto facilius contingit, quo tenuiori ac molliori prae aliis gaudent in-

ter-

terdum ſubiecta corporis ſtructura, horum enim ligamenta et muſculi viribus externis violenter agentibus ſaepius aequaliter reſiſtere nequeunt (*).

§. XXX.

Cauſae Luxationum *internae*, quae ſcilicet in ipſo Corpore nidulantur, dataque, iuſto tempore, occaſione hanc illamve corporis partem afficiunt, et oſſa extrudunt, ſunt praeter conformationem oſſium vitioſam, vel Ligamentorum et Muſculorum nimia Relaxatio, aut Contractio, vel quicquid praeter naturam in cavo Articuli exoritur, ut congeſtio et accumulatio humorum, aut excreſcentiae cuiuscunque naturae ac indolis. Mala oſſium conformatio, quae ſub ipſa foetus in utero formatione peragitur, luxationem efficere poteſt, ſi e. gr. ſinus ſeu cavitates oſſium aut nimium applanatae, aut eminentiae vel capitula minus rotunda, vel alias defigurata deprehenduntur, qualia, etſi rariora exempla PVRMANNVS in Chirurg. aliique recenſent. A nimia vero Ligamentorum, Tendinum ac Muſculorum relaxatione luxantur oſſa, dum hae partes, ex quacunque cauſſa, firmiter articulum amplius retinere nequeunt, ita ut oſſa ex proprio pondere e ſede ſua naturali elabantur; quod praecipue in Extremitatibus ſuperioribus, e. c. in Humero occurrere, obſervatum eſt. Fit autem haec Ligamentorum cum Muſculis proximis et coadiuvantibus Laxitas, quando vel decubitus humorum ſeroſorum et pituitoſorum circa peripheriam Articuli contingit, et ab eorundem iuſto copioſiori affluxu fibrae membranaceae et muſculares ita lubricantur, emolliuntur, et debilitantur, ut ſic priſtino robore, ac naturali tono amiſſo, extremum oſſis e cavitate ſua eo facilius prolabi ſinant. Vel enaſci quoque poteſt dictarum partium atonia, a dene-

(*) Exinde etiam videmus, quod in infantibus ſaepiſſime Luxationes generentur, ſi vel incaute corpore tortuoſe inflexo portantur, aut ſi elevari debent, inepto prorſus et temerario modo brachiis ſaltem prehenduntur, quibus ſingulis modis articulationes oſſium, in ſe adhuc ſatis mollium, facile adeo diſtorqueri et extendi poſſunt, ut exinde dearticulatio ſubſequatur.

denegato fluidi nervei in eaſdem influxu, id quod ſatis illuſtratur exemplis paralyticorum fere quotidie occurrentibus. Dependet enim legitimus fibrarum tonus atque elater (ſecundum principia phyſiologica) quoad maximam partem, a ſpiritibus ſic dictis animalibus, per nervos ad eas rite accedentibus. Quum autem id in Paralyſi haud fiat, fibrae ſeu muſculi et ligamenta vim ſufficienter reſiſtendi exerere, adeoque partes illis annexas in ſitu ſuo ordinario retinere nequeunt, hinc tandem Luxationis cauſſam omnino conſtituunt. Interdum etiam uno Muſculo ita adfecto, altero Antagoniſta autem adhuc integro exiſtente, pars paralytica continuo verſus partem oppoſitam, naturali vi adhuc gaudentem, ita trahitur, ut tandem oſſis capitulum e ſede ſua naturali cedere cogatur.

§. XXXI.

Sic ex adverſo non raro naſcuntur Luxationes a motibus convulſivis particularibus vehementioribus, imprimis ubi materia acris circa Iuncturas ſubſiſtens in culpa eſt, quae irritando ultra modum fibras ligamentorum ac muſculorum in ſe ſenſibiliores ad violentam contractionem diſponit, ut exinde capita oſſium e ſuo habitaculo deiiciantur; quales Luxationes TVLPIVS (*), IOB a MECKREN (**) aliique obſervarunt. Ipſe ego, cum Berolini verſarer, et Celeber. D. HENCKELII Collegiis privatis intereſſem, recordor, eiusdem auxilium imploraſſe Mulierem quandam, quae interdum affligebatur tam magnis et violentis motibus epilepticis, recurrentibus ab initio ſingulis menſibus, ut eos ſaepius ſequeretur Luxatio Maxillae inferioris. Is quidem quavis vice ſtatim Maxillam luxatam reponere conatus eſt, neque minus Topica diſcutientia ac roborantia ſimul, cum debita partis affectae deligatione decenter applicavit; his tamen, quamvis rite adhibitis, quinto circiter Menſe bis iterum a triſti hoc affectu correpta fuit. Verum cum a muliere audiiſſet, ſe Menſibus

D ſup-

(*) *Lib.* IV. *Obſervat.* 55.
(**) *Obſervat. Chirurgicar.* 30.

ſuppreſſis laborare, fluxum hunc ſanguinis impeditum per medicamenta appropriata iterum provocandum curavit. Quo facto ſtatim ceſſabant motus epileptici et mulier nullam amplius novam ſuſtinuit Maxillae Luxationem.

§. XXXII.

Sequuntur nunc cauſae internae, quae in ipſo cavo Articuli inveniuntur. Huius generis autem ſunt Linimenti Haveriani nimia accumulatio et inſpiſſatio, aliorumque humorum excrementitiorum qualitate peccantium ibidem depoſitio. Quod primo Articulorum Liquorem ſpectat, eiusdem praeternaturalis coacervatio oſſa e ſuo nexu eiicere poteſt ſola parietum et Ligamentorum dilatatione; atque id praeſtabit partim pondere ſuo, partim preſſione quaquaverſum aequali: uti lympha in Aſcite, et Vrina in Veſica a Calculo Veſicae retenta. Et hic eſt unus modus, quo Luxatio a Latice Haveriano oriri poteſt; alter vero, qui nunc ſequitur, contingit, ſi Humor ſaepius laudatus Articulorum adeo mucoſus exiſtit, ut ille primo Gelatinae, dein Cartilaginis, tandemque fere oſſis naturam induens, ſenſimque ſimul incrementum capiens, Articulationem disnectat; quod ſymptoma aliis *Anchyloſis* vocatur, et maxime ſeſe manifeſtat ſub nimia partium quiete, ubi Humor hic, quem alias Articulorum motus ex ſuis folliculis exprimit, in iisdem obhaereſcit, et diſſipatis tenuioribus partibus ſucceſſive inſpiſſatur et terreſtris atque ſolidior evadit.

§. XXXIII.

Humores ſeroſi, pituitoſi, acres, Tartarei, aliique noxii ac excrementitii (§. antec.) in Iuncturarum cavitates fluentes, itidem cauſas quandoque conſtituunt Luxationum. Sic e. gr. in Febribus acutis materia peccans, ad plenariam criticam excretionem nondum ſatis apta, verſus Extremitates interdum defertur, et imprimis circa Iuncturas decumbit, ubi ob acrimoniam maiorem, quam partim a praegreſſa per calorem febrilem reſolutione, partim a longiori ibidem ſtagnatione nacta fuit, Ligamenta tam interiora, quam exteriora una cum Muſculis circumiacentibus irritat, irritando autem ita debilitat et relaxat, ut tono harum partium

tium ſic vitioſe conſtituto firmiter ſatis et arcte oſſa continere nequeant. Porro acida, Tartarea, pituitoſa, imprimis ſub Morbillorum, Scabiei, Luis Venereae, Arthritidis, Mali iſchiatici, Rheumatismorum, aliorumque ſic dictorum Catharrhorum afflictionibus, in noſtro corpore, vel ex quacunque alia cauſa collecta Materia ipſum Articulorum Liquorem ita haud raro figere, coagulare, et inſpiſſare ſolet, ut non ſolum craſſiores dictae partes maiorem inter ſe cohaeſionem, verum et eo ipſo iuſto fortiorem parietibus Articulorum adhaerendi vim obtineant. In omnibus vero hiſce Caſibus ſaepius contingit, ut, dum aegri aliquandiu longius decumbere cogantur, ſi rurſus e lecto ſurgere intendunt, percipiant in Articulo nonſolum impotentiam membrum movendi, ſed etiam partis male ſe habentis modo auctam, modo imminutam, prout os dislocatum nunc ſupra, nunc infra e cavitate ſua elapſum fuit, longitudinem. Vbi tamen notandum, quod eiusmodi Luxationes utplurimum in Articulatione Humeri cum Scapula, et Femoris cum Coxa obſerventur, cuius rationem e pathologicis alias petendam, ſufficienter tradidit B. STAHLIVS in peculiari de Rheumatismis edita Diſſertatione (*).

§. XXXIV.

Cauſis Luxationum internis accenſendae adhuc ſunt Excreſcentiae Articulorum fungoſae atque Exoſtoſes. Tales enim, ſi in cavitatibus Iuncturarum exoriuntur, ſimili modo, ob ſpatium imminutum, extrema oſſium extrudunt, eademque alium locum petere cogunt. Plerumque autem eiusmodi excreſcentiae pro cauſſa agnoſcunt univerſalem Humorum dyſcraſiam, maxime ſcorbuticam et Veneream (§. antec.), ſub qua, ſicuti univerſa Sanguinis maſſa, ita et ſpeciatim Articulorum ac oſſium humores quam maxime depravantur. Eveniunt autem dictae Excreſcentiae praecipue circa maiorum oſſium epiphyſes, tenuiori relative ac ſpongioſiori ſubſtantia gaudentes. Huc enim materia

 im-

(*) Convenit hac in re cum eo *Ioh. Caſp.* MVSTINGER in Diſſertatione de Luxationibus. Item PARAEVS *Libr.* XVII. *Cap.* 22. HIPPOCRATES in *Sect.* VI. *Aphorism.* 59. et 60.

impura nonſolum ob copioſiorem nutritionem facilius advehitur, verum etiam ibidem in cellulis longius commorari, et ſic dictorum oſſium ſubſtantiam levi negotio expandere poteſt.

§. XXXV.

Hactenus iam enarratis, hic quoque annumerari merentur aliae, a vi partus deductae Luxationum cauſſae; ubi nimirum quandoque inter parturiendum, vel ob malam Pelvis conformationem, et nimiam eius anguſtiam, vel ob inſignem Vteri expanſionem, imprimis autem ſub dolorum ad partum exacerbatione ac motuum vehementiorum vi caput foetus in oſſa Pelvis ita adigitur, ut hanc ob cauſam in iunioribus ſubiectis, et quidem prae aliis Pubis oſſa a ſe invicem dislocentur. Equidem me haud latet, dari nonnullos, quorum animis inhaeret opinio, an oſſa haecce a vi quadam ſeiungi, et a ſe invicem, tempore difficilioris partus, diduci queant? imo inter alios talem oſſium retroceſſionem audacter negat *Pet.* DIONIS in Arte Obſtetricandi caeteroquin verſatiſſimus (*). Verum enim vero et poſſibilitatem et actualitatem horum oſſium Luxationum, ex ipſa eorundem ſtructura atque connexione, explicare poſſemus, niſi id quam elegantiſſime iam demonſtraſſet WEITBRECHTVS in Syndesmologia (**). Proinde etiam exempla quam plurima proſtant, p. n. oſſium dictorum retroceſſionem indicantia; praeprimis autem eam obſervaſſe teſtatur MANINGHAM in Compendio Artis obſtetricariae, et SANTORINVS in Obſervationibus anatomicis (***) inquit: *Oſſa Pubis in recenter denatis puerperis, quamvis non ſaepius dirempta vidi, in aliquibus tamen ita diducta reperi, ut et noſtrum et Chirurgi, qui tum aderat, facile fuerit, pollicem transverſum indere.* Monſ. TEMIN Medicus Pariſienſis ſeparationem oſſium Pubis in cadaveribus foemininis mox poſt partum diſſectis, ſe bis quoque obſervaſſe affirmat.

§. XXXVI.

(*) *Art. Obſtetric.* Lib. III. circa finem *Cap.* I.
(**) Sect. VI. §. 50.
(***) *Cap.* XI.

§. XXXVI.

Verum an Embryonis oſſa in Vtero, quod alii potiſſimum urgent, a vi externa luxari queant, nondum ſatis hactenus conſtat. Corroborare id quidem videntur, ea, quae HIPPOCRATES de Articul. paſſim tradidit, cui etiam aſſentiunt alii Auctores, quos tamen ſilentio hic praeterire volumus, quia temporis ratio, prolixius ut de hac re agamus, nobis prohibet. Interim quod generatim in hoc negotio ſtatuendum ſit, pauciſſimis explicemus. Si enim rem accuratiori mentis trutina penſitemus, animadvertimus, eiusmodi Luxationem ab hac cauſſa minus eſſe probabilem: 1) quia foetus per totum geſtationis tempus humoribus innatat, et duplici quaſi praemunitur involucro, quae vim externe applicatam etiam ſatis magnam infringere poſſunt. 2) Quia ipſa Vteri craſſities prohibet, ne vis externa tam profunde penetrare poſſit. Quibus 3) accedit Vteri ſitus in Hypogaſtrio ſeu Pelvi, Veſicam inter, et Inteſtinum rectum, tanquam inter duo pulvinaria, quae inſuper partes ubivis fere ab oſſibus, ut tutiſſimis moeniis contra externas defenduntur iniurias. Verum negare haud volumus, à cauſis internis per haereditatem omnino fieri poſſe eiusmodi Luxationes. Sic v. g. ab humoribus Matris impuris, aliisque huius commatis, frequentius Luxationibus corripiuntur Embryones.

§. XXXVII.

His ita, quae Luxationum cauſas concernunt (§. XXVIII—XXXVI.), clare expoſitis, non immerito quaeſtio movetur, quaenam potiſſimum *ſubiecta* prae aliis ad dictas ſaepius afflictiones magis ſint diſpoſita? Et licet quidem in omni aetate obſerventur Luxationes; interim tamen non negandum, in iunioris aetatis hominibus facilius, quam in profectioribus obvenire oſſium Dislocationes. In Infantibus enim non adeo difficiles Luxationes eſſe, et frequentius fere quam Fracturas occurrere, ex his potiſſimum rationibus affirmamus, quoniam in tali aetate articuli nondum plene et plane formati, et magis cartilaginei ſunt, quam oſſei. Quibus adde teneram in infantibus Ligamentorum Muſculorumque conſtitutionem atque debilitatem, quae partes

 in

in profectioribus alias ob maius, quo gaudent, robur, fortius reſiſtentes, in his ſubiectis facilius cedere, atque oſſis prolapſum e ſede ſua ordinaria permittere queunt. Praeter Infantes, teſte quotidie Chirurgorum experientia, ad Luxationes prae aliis magis inclinant ii, qui pallidiore adſpectu, partium mollitie ac turgida ſolidorum conſtitutione, id eſt, temperamento frigido-humido, uti Veteres voluerunt, ſive phlegmatico gaudent. Eandem ob cauſam ſexus ſequior prae nobiliori frequentius Luxationibus corripitur; in hoc enim ſexu magis laxa ac tenerior, prae nobiliori obſervatur partium ſolidarum diſpoſitio, cui accedit vita ſedentaria, quae iam debilem ſolidorum elaſticitatem atque vim vitalem adhuc magis fovet, quo fit, ut Ligamenta et reliquae Articulis adiacentes partes, ab irrumpente vi externa, tanto facilius ſuperari, et ſubinde, data occaſione, eo celerius Luxationes perfici queant.

§. XXXVIII.

Ita et Chirurgi in arte periti obſervarunt, easdem tempore hyemali rarius occurrere, quam aeſtivo; imprimis autem Luxationes eſſe frequentiſſimas tempore vernali et Autumno eos itidem attenta Caſuum obſervatio docuit. Praecipua huius rei cauſſa non alia eſſe videtur, quam quod illo tempore, Vere nimirum et Autumno, uti e Phyſicis conſtat, aër nimis humidus plerumque exiſtat, hinc aër ita conſtitutus fibras laxando et debilitando, robur ſolidorum quam maxime depravare, ac ita minuere poteſt, ut Ligamenta et Muſculi viribus externis minus reſiſtere, adeoque facilius dearticulationes permittere queant. Nec iis contrarii ſumus, qui haec vitia pariter ac Hernias Helvetis eam ob cauſam eſſe propria contendunt, quia cibis eo diſponentibus, Lacte nimirum, Butyro et Caſeis pinguibus fere quotidie utuntur, quorum uſu fibrae Ligamentorum aliarumque partium nimis emolliuntur et lubricae ita redduntur, ut rudiore et magno corporis membrorumque motu accedente, cui prae aliis gentibus Monticulae illi maxime aſſueti ſunt, eiusmodi vitium frequentius, quam alibi locum invenire poſſit,

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Cognito Luxationum diſcrimine, earundemque perſpecta orgine, facilius nunc *Symptomata* dirimere licet. Diſpeſcuntur autem generatim in *frequentiora* et *rariora*. Ad frequentiora potiſſimum numerantur: Partis luxatae functio laeſa, Tumor, Inflammatio, Dolor. In claſſem autem rariorum referuntur: Tumor oedematoſus, Paralyſis, Atrophia, Gangraena, Sphacelus, Convulſiones, Vigiliae, Febris, aliaque huius commatis plura. Quod *laeſam* partis *Actionem* attinet, quae ſemper et ordinarie adeſt, et in maiori vel minori membrum movendi impotentia conſiſtit, ex Anatomia patet, omnes in Corpore Articulationes peculiari, prae reliquis oſſibus, gaudere ſtructura, nexu, atque conformatione, quibus rite conſtitutis membrum ſibi competentes motus et actiones exercere poterit, ſin minus, ex neceſſitate quadam mechanica movendi potentia vel in tantum, vel in totum aufertur. Ponamus ergo extremum oſſis quodcunque e ſede ſua ordinaria elapſum eſſe, id ſane non amplius in ſinu proprio moveri poterit. Et quum locus, in quem ſeceſſit, dicta non habeat ad movendum requiſita, nulla quoque in eodem locum inveniet movendi ratio. *Tumor* exiſtit non ſolum quatenus os luxatum partes adiacentes vi extrudit ac elevat; verum etiam, quia ob violentam partium articulum circumambientium diſtractionem atque compreſſionem humorum circulus quam maxime impeditur, quo neceſſario fit, ut in diſtractis et per conſequens compreſſis vaſculis ſtagnent humores, canales obſtruant, eosdem diſtendant, et ſic Tumorem faciant, qui eo maior erit, quo propius vas ad plenariam obſtructionem accedit. *Inflammatio* a ſtaſi globulorum ſanguineorum in vaſculis minimis arterioſis, alias purpureum laticem non admittentibus originem trahit; ob minorem enim, qua gaudent in ſtatu Luxationis, reſiſtentiam, largiorem ſanguini tranſitum praebent. Eandem etiam ob partium nimiam diſtractionem atque compreſſionem, dum fibrae ad rupturam fere diſtenduntur, oritur in his partibus perceptio triſtis ac ingrata, quae nobis ſub *Doloris* nomine venit, qui dolor gradu adaugetur, quo plures fibrae tenduntur, et vice verſa.

§. XL.

§. XL.

Rariora Luxationum Symptomata tantas interdum aegrotantibus pariunt moleſtias, ut iure quoque attentionem quandam mereri videantur. Verum cum et multa et varia Luxationum pro diverſa ſubiecti, loci &c. accidere poſſunt Symptomata, mihi vero brevitati ſtudenti, de ſingulis agere non liceat; heic ſaltem de illis, quae utplurimum evenire ſolent, quaeque (§. antec.) iam allegavimus, verba faciam. Generatim tamen notandum, quod non omnia in omnibus reperiantur luxatione laborantibus, ſed pleraque ſaltem in plurimis, et quaedam in quibusdam. Ordine itaque, ut procedam, ſiſtam *Tumorem oedematoſum*, non raro infra partem luxatam contingentem. Oritur hic praecipue a compreſſione Vaſorum maiorum venoſorum, ab oſſis luxati capitulo facta; quoniam hac ratione venae lympham vehentes, ſuumque liquidum alias in venas maiores fundentes, ob impeditum, ſub dicta compreſſione, refluxum ſeſe exonerare nequeunt, unde neceſſario, dum plus affluit, quam refluere poteſt, hoc Symptoma. *Paralyſis* excitatur a tumore, nervo cuidam vicino, anguſtiſſimosque horum tubulos comprimente atque occludente. Hac ratione eiusmodi compreſſionem facit talis Luxatio, ubi os e ſitu ſuo abiens, nervum verſus aliud os reſiſtens urget. Contingit id praecipue in Vertebrarum dorſi Luxatione, in qua vertebrae vel lateraliter, vel antrorſum, vel retrorſum ita ſecedunt, ut comprimant medullam ſpinalem, corpora illarum permeantem. *Atrophia* ex ipſa Paralyſis aetiologia peti poteſt, et a maiore plerumque Nervorum laeſione, interdum quoque a denegato ſanguinis per vaſa ex quacunque cauſſa laeſa aut compreſſa, affluxu provenit; ſub his enim circumſtantiis nec nutrimenti appoſitio, nec apta mutatio in Vaſis arterioſis nutrientibus fieri poteſt. *Gangraena* atque *Sphacelus* oriuntur in Luxationibus maxime externis; dum in his muſculi tendines et ligamenta mirum in modum extenduntur, vaſa laxantur, comprimuntur, et ſic ad ſanguinem transmittendum inutilia redduntur. Fiunt, ut paucis me expediam, vaſorum minimorum quaſi Anevrismata, in quibus ſanguis ſtagnans, et ſuo motu progreſſivo privatus, ſubito nunc ab ipſo motu intrinſeco deſtructorio corrumpitur.

Hinc

Hincin ingentibus, adeoque periculoſiſſimis contuſionibus, quae in nonnullis Diſlocationibus interdum contingunt, ſanguinis diſcuſſionem atque reſolutionem exoptatam obtinere raro poſſumus; metuenda itaque in tali caſu Gangraena, ipſaque partis mors. Inter Symptomata Luxationum rariora quoque recenſendae ſunt *Convulſiones*, quae utplurimum a ſtrictnra fortiori ramulorum nervoſorum, partiumque membranoſarum, in ſubiectis potiſſimum ſenſibilioribus et delicatulis, quorum Nervorum ſyſtema prae robuſtioribus ad irritationem pronum, haud infrequenter proveniunt. *Febris* autem atque *Vigiliarum* cauſſa plerumque haeret in inflammatione nimia, et irritatione inde emergente, qua nimirum continuo ſanguis ita exagitatur, ut non poſſint decenter moveri ipſa in corpore fluida; impediunt ergo in tali motu continuo atque inordinato conſtituti liquores, quo minus quiete vel ſomno refici queat miſer aegrotans.

§ XLI.

Reſtat nunc, ut indicemus, quomodo de Luxationum eventu firmum et prudens ferre poſſimus iudicium. In genere autem ad earundem *prognoſin* quod attinet, notandum, Luxationes pertinere ad eos affectus, qui per ſe nullam lethalitatem inferunt; licet enim capitis et vertebrarum ſpinae, praeprimis ſuperiorum Luxatio utplurimum poſt ſe trahat mortem, ea tamen, quatenus eſt luxatio, lethalitatem non involvit, quatenus autem cum preſſione medullae ſpinalis, et quidem circa eiusdem principium connectitur, propter liquidi nervei ad partes inferiores denegatum influxum, lethalitatem omnino adferre poteſt. Quo plura denique et vehementiora huic malo iunguntur Symptomata, eo periculoſior ſtatus, eoque difficilior curatio, et vice verſa.

§. XLII.

Specialior vero prognoſis, et quidem ratione felicioris, aut minus fauſti in cura ſucceſſus, diverſimode ſiſtenda eſt, pro variarum circumſtantiarum ratione. Sic 1) completa Luxatio, quia cauſſam agnoſcit non ſolum violentiorem, verum etiam longiorem oſſium e ſede ſua dimotionem, quam in-

completa, difficilioris omnino ſemper erit curationis. 2) Ipſa forma et conditio oſſis luxati a Chirurgo prognoſin ſiſtente attendenda eſt. Quo profundior enim cavitas et magis eminens capitulum oſſis exiſtit, eo quidem rarior Luxatio, eoque difficilior curatio; hinc luxatio in enarthroſi facta, difficulter reponitur; raro autem ob rationes (§. XVI.) allegatas, quae in ginglymo occurrit, perfecte reſtituitur luxatio. Reliquae Articulationum ſpecies, v. g. Arthrodia, Amphiarthroſis &c. etſi luxationibus magis ſint obnoxiae, attamen cum non tam violentas agnoſcant cauſſas, facilius, ſi modo ſint recenter factae, manu chirurgica reſtituuntur. 3) Porro differt prognoſis pro cauſſarum varietate; ſic Luxatio a cauſſa externa producta, faciliorem, quam interna ſanationem admittit. Vbi autem a cauſſa interna ortum traxit, a gravibus quidem ſymptomatibus utplurimum libera exiſtit, adeoque facilius quidem reponitur, aſt difficillime perfecte curatur, mox enim poſt repoſitionem pars iterum prolabitur. A callo tandem, exoſtoſi oſſis extremi, aliisque excreſcentiis, aut collectis in articulo praeſertim viſcidis humoribus, aut ab ipſa Liquoris Haveriani inſpiſſatione proveniens luxatio, ſi confirmata inſuper fuit, communiter incurabilis eſt et manet. Si vero ab aliis affectibus, arte medica adhuc exſuperandis, ſymptomatica quaſi enata fuerit eiusmodi luxatio, e. gr. a mera Ligamentorum relaxatione, vel ab atonia partium circa articulum poſitarum, maior omnino remanet ſpes reſtitutionis, imprimis in ſubiectis iunioribus, caeteroquin ſanis ac robuſtis, in quibus nimirum appropriata topica externa interdum cauſſam tollere ſufficiunt.

§. XLIII.

Pro varietate ſubiectorum, neque minus pro diverſa aetatis ratione itidem prognoſis variat. Ita enim infantes, quanquam ob ligamentorum aeque ac muſculorum teneritatem magis ſint obnoxii luxationibus, facilius tamen ob partium ſolidarum in repoſitione minorem reſiſtentiam curantur, quam adulti. In ſexu ſequiori, quia fibris gaudet minus robuſtioribus, quam ſexus potior, minori dolorum exacerbatione ac cum leviori vi, dislocatio omnis reſtituitur.

§. XLIV.

§. XLIV.

Difficillima tandem eſt luxationis repoſitio, ſi cum fractura aut vulnere parti luxatae vicino iungitur, partim quia laeſi membri neceſſaria extenſio, propter continui ſolutionem et perpetuum dolorem, commode inſtitui nequit, partim quoniam ob diuturnam quietem, in qua luxata pars per longum temporis ſpatium detineri debet, plerumque timenda eſt Anchyloſis. Quodſi autem epiphyſeos a corpore oſſis principalis Dimotio fiat, quum eiusmodi malum ſine dilaceratione cartilagineae ſubſtantiae vaſorumque interiectorum oriri nequit, peſſimus quoque ſtatus eſt. Cui accedit difficultas partes has rite agglutinandi et in ſitu ſuo retinendi ordinario; unde rariſſime perfecte reſtitutos videmus tales aegrotantes.

§. XLV.

Iam ſatis credo, nos locutos fuiſſe de Luxationum origine, differentia, cauſſis ac eventu. Nihil itaque impediet, quo minus pedem ad ipſam *curationem* tradendam moveamus. Abſolvitur autem ea, univerſam, quam exhibuimus, Luxationum theoriam, bene ſi inſpexeris, tribus praecipue modis. 1) Repoſitione oſſis luxati in priſtinum ſuum locum. 2) Retentione oſſis repoſiti in ſitu ſuo naturali. 3) Mitigatione, avocatione et praeſervatione tam praeſentium, quam futurorum ſymptomatum.

§. XLVI.

Prima ergo (§. antec.) indicatio curativa erit *Repoſitio oſſis in ſitum ſuum naturalem.* Perficitur haec membri *Extenſione* et *Contra-Extenſione*, hisque rite peractis, oſſis extremi e ſitu dimoti, in priſtinam ſuam ſedem *directione.* Cauſſa enim non ſublata, effectus non poteſt tolli; et nihil hic meris medicamentis ac ſine manu chirurgica effici poſſe, ratio perſuadet et experientia docet. Eſt autem probe notandum, quod hancce intentionem non ſemper ſtatim ſub initio in omnibus Luxationibus, niſi prius mala interdum coniuncta ſymptomata dimoveantur, aſſequi liceat. Sic repoſitio in eiusmodi articulis luxatis fieri nequit,

quit, in quibus fractura ſimul, et quidem prope extremum oſſis complicata deprehenditur (*); hac enim ratione, cum extenſio membri decenter inſtitui impoſſibile ſit, neceſſario extrema oſſis diffracti, ſolutionem continui paſſa, iterum ut coaleſcant, Chirurgus curet, ne tentando extenſionem maiorem, oſſium extremorum receſſum producat. Imo contraindicant ſaepius et extenſionem et repoſitionem membri luxati varia ſymptomata urgentia, primam medelam expoſcentia, qualia ſunt inflammatio aut contuſio inſignis, et ab his dependens nimius dolor.

§. XLVII.

In illis vero luxationibus, in quibus neque fractura, neque alia graviora ſymptomata repoſitionem contraindicant, Chirurgus quam primum accerſitus fuerit, operam dare debet ad illas reſtituendas, ne temporis mora et retardato auxilio morbus evadat peior, et locum hic ſane invenit generale iſtud axioma, ab HIPPOCRATE in Libro de Articul. (**) iam olim conſignatum; ubi *ſemper* aſſerit, *reponere oportet omnes articulos, maxime quidem ſtatim, dum adhuc calidi ſunt: ſin minus, quam celerrime.* Convenit in hac re quoque cum eo Cornel. CELSVS de Re medica (***): *Quicquid*, inquiens, *ſuo loco motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt.*

§. XLVIII.

Quod itaque extenſionem (§. XLVI.) attinet, quae Graecis *ἀντίτασις* appellatur, notandum ante omnia occurrit, eam in omnibus Luxationibus vix eſſe neceſſariam; imo ſaepius nullum peni-

(*) Quodſi autem fractura vel vulnus a parte luxata longius diſtet, non abſurde in tali caſu primo tentatur repoſitio. Vbique tamen Medicus ſuum interponet iudicium, experientia et ratione ſuffultum. Locum itaque hic invenit illud: ex duobus malis minus eſt eligendum, qui canon in caſibus nimirum dubiis et ubi indicantia contraria adſunt, ſi alibi, ſane in Chirurgia locum inveniet.

(**) *Cap.* LXXXIX. *§. 6.* et *7.*

(***) *Lib.* VIII. *Cap.* II.

penitus invenire locum, ubi vel nimia ligamentorum et muſculorum relaxatio luxationem anteceſſit, vel ubi extremum oſſis cuiusdam imperfecte luxatum fuit, et quidem praecipue in iis articulis, qui unica tantum cavitate et unico oſſis capite gaudent; in hoc enim caſu dearticulati oſſis capitulum, margini cavitatis alterius oſſis adhuc incumbens, ſola manus preſſione in priſtinam ſuam ſedem redigi haud difficulter poterit.

§. XLIX.

Differt autem partis dislocatae extenſio et contra-extenſio, prout nimirum locus dearticulatus, et eius ſtructura, ut et ipſa variat luxatio. Inſtituitur enim ea interdum vel ſola manu chirurgica, imo quandoque ſine magnis adhibitis viribus. Vel his non ſufficientibus, mediantibus variis a veteribus iam olim inventis machinis, quibus illi, uti ex HIPPOCRAT. Lib. de Fracturis et Luxat. neque minus de Articulis videre licet, tam in oſſium fracturis, quam eorundem luxationibus uſi fuere. Eſt tamen prior modus, nempe extenſio ſolis manibus facta, qui in ſcholis chirurgicis *palaeſtricus* quoque audit, ſemper praeferendus alteri, qui *medicus* vocatur, et inſtrumentis perficitur. Non tantum enim ſolae manus ſufficiunt reducendis incompletis luxationibus, quae in omni articulorum genere obveniunt, verum etiam pleraeque completae his unice reponi patiuntur. Et quando nudae manus non ſufficienter praeſtent eiusmodi extenſionem, una tunc utiliter adhibentur Laquei aut Mantilia longa pariter ac firmiora, interpoſitis tamen prius ſpleniis craſſis atque mollibus, ne facile aegroto dolores excitare queant; horum enim ope oſſis luxati extenſio ab homine robuſto lente ac prudenter inſtituitur; et ſi unus non ſufficiat, duo aut plures operi admovere poſſunt manus, donec tandem extenſio in tantum fiat, ut a Chirurgo capitulum oſſis dearticulati in ordinariam ſuam ſedem reponi poſſit.

§. L.

Vbi autem manus requiſitam extenſionem praeſtare nequeunt, alter dein modus, medicus ſcilicet in auxilium erit vo-

candus. Supervacaneus interim labor eſſet, omnia hic Machinarum ac inſtrumentorum genera deſcribere atque enarrare, imprimis cum eorundem plurima pars iam dudum exolevit. Nos ergo ſolummodo ea attingamus, quae hodierno adhuc die a neotericis quandoque adhibentur. Huc autem adnumerari merentur 1) Gloſſocomium ſeu Ambus HIPPOCRATIS, humero reſtituendo inſerviens, cuius conformationem et utendi modum largius docet SCVLTETVS in Armamentario chirurg. (*a). 2) Trochlea illa communis ſeu Machina tractoria VITRVVII cum funiculo annexo et Zonula parti luxatae alliganda, quam quidem PARAEVS (*b) delineat, HILDANVS autem (*c) et SCVLTETVS (*d) correxerunt. 3) Scamnum HIPPOCRATIS, de quo Scultetus in Armament. chirurg. (*e) et ORIBASIVS in Libro de Machinamentis (*f) egit. 4) Reſtitutio Hippocratica (*g). 5) Extenſio femoris per habenas (*h). Hiſce tamen omnibus praecedentibus modis, utpote quoad maximam partem torturam quaſi referentibus, iure praefertur modus ille organicus, qui extenſionem per Machinam ſic dictam tractoriam a Mſr. PETIT inventam, quam Galli la Moufle vocant, et coaptationem ſolis manibus aut linteamine peragere docet; cuius iconem in Auctoris Tractatu de Morb. oſſium (*i) reperies. Proinde quoque eiusdem Auctoris Laqueus, a D. HEISTERO (*l). Laqueus peculiaris Petiti dictus, itidem ad ſufficientem extenſionem producendam maxime idoneus eſt, ea-

(*a) T. XXIV. et XLIX. *fig.* 1. 4.
(*b) *Lib.* XIV. *Cap.* VII.
(*c) *Cent.* V. *Hiſtor.* 86. et 60.
(*d) *Tab.* XXI. XXII.
(*e) p. 54.
(*f) p. 319.
(*g) Vid: in Sculteto p. 59. *fig.* 3.
(*h) Idem p. 63. Variae deſcriptae atque delineatae reperiuntur Machinae in HIPPOCRATE de Artic. item in HILDANO, SCVLTETO, ORIBASIO, aliisque.
(*i) p. 153. *Tab.* VI.
(*l) *Inſtitut. Chirurgic. Tab.* X.

eaque propter ab hodiernis Chirurgis frequentius, quam reliqua machinamenta in uſum vocatur.

§. LI.

Sunt autem in genere omnes hae (§. antec.) recenſitae machinae ita comparatae, ut, quamvis quidem ſatis magna cum illis inſtitui poſſit extenſio, nulla tamen earundem ita ſit fabricata, ut ſimul aequalem reactionem, ſeu contra-extenſionem praeſtare queant. Quapropter eiusmodi extenſioni proportionatam contra-extenſionem, ut opponamus neceſſe erit. Peragitur autem illa, vel ope manuum, vel linteaminum, vel laqueorum aut mantilium, quorum extremis aeger vel a robuſtioribus hominibus firmatur, vel quando id recte non ſuccedit, dicti laquei aut mantilis extrema annulo, trochleae, aut aliae cuidam rei firmae alligantur, ne aegrotus extenſione facta cedere poſſit.

§. LII.

Eſt autem probe attendendum cavendumque, ne fortiori partis luxatae extenſione partes adiacentes, v. gr. ligamenta articulorum, tendines, muſculi &c. dilacerentur. Quapropter extenſio et contra-extenſio fieri debent aequalibus viribus, non cum impetu, ſed gradatim adhibitis. Nec porro extenſio ſit nimis fortis, neque nimis lenis, ſed vires, quae applicantur, eſſe debent proportionatae robori ac multitudini muſculorum, tale membrum circumambientium. Quod ſi enim e. g. Luxatio Carpi vel Tarſi contigiſſet, nonne hoc in caſu ad machinas confugere ridiculum foret? dum ſolis manibus eiusmodi dearticulationem reſtituere valemus. Sic ex adverſo, ubi partes muſculoſae partes oſſeas, e ſedibus ſuis et mutua compage, per dislocationem, detruſas magna in copia circumdant, v. gr. quando caput oſſis Femoris ex acetabulo oſſis innominati, et quidem extrorſum ſimul et ſurſum luxatur, tunc niſi antea extenſio maxime neceſſaria ſufficienter inſtituta atque praegreſſa fuerit, iuſta reductio fieri certe non poterit. Sunt praeterea eiusmodi vires in utraque actione, in extenſione nimirum et contra-extenſione, partibus, quas movere debent, immediate applicandae.

§. LIII.

§. LIII.

Extenſione itaque in tantum facta, quantum ad abductionem oſſis ab altero ſufficit; id quod ex intumeſcentiae decremento muſculorumque rigidae tenſionis ceſſatione concludimus, actus directionis oſſis dislocati tutiſſime ſuſcipitur verſus eundem locum, e quo antea erat prolapſum. Perficitur id, dum Chirurgus, premendo os luxatum vel ab exteriori regione ad interiorem, vel a ſuperiori verſus inferiorem, et vice verſa, dein dirigendo capitulum oſſis ad priſtinam cavitatem, id tandem vel ſolis manibus, vel beneficio Mappae alicuius, vel etiam, quamvis raro, machinis iugi formam exhibentibus (*) in locum ſuum atque ſinum naturalem reponat.

§. LIV.

Repoſitionem legitime factam atque abſolutam eſſe, e doloris ceſſatione et aequalitate partis laeſae, ſi eam cum ſana comparamus, recte concludimus. Cui accedit actio membri antea dislocati aliquo modo iterum reſtituta. Saepenumero etiam ſonitus ſeu ſtrepitus quidam ſub ipſa repoſitione ſubinde in articulo, a repentina coaptatione et attritu oſſium extremitatum inter ſe proveniens, certum nobis exhibet reductionis criterium.

§. LV.

Altera poſt repoſitionem indicatio eſt: *Retentio partis laeſae in ſitu ſuo naturali* (§. XLV.). Hanc autem intentionem aſſequi licet 1) per deligationis apparatum, debito iuſtoque modo applicatum, neque minus per 2) oſſis repoſiti ſitum decentem et quietum. Ad *deligationem* quod attinet, probe notandum, eam in Luxatione a vi externa ortum trahente, dummodo leviter facta ac recens ſit luxatio, nullas involvere difficultates. Quum enim hoc in caſu muſculi validi et robuſta Articulorum ligamenta iam ſatis firmiter oſſa in ordinario ſuo retinere valeant ſitu, magno deligationis apparatu ſane non eſt opus. Superfluum ac no-

(*) Vid. *Act. Lipſienſ. 1683*, p. *36*.

noxium itaque eſſet, eiusmodi membrum multis torquere vincturis, quibus ſanguinis refluxus impeditur, ac ita ſaepius coacervatur, ut, ſi iam antea partes valde inflammatae fuerint, facile dolores ſummi, convulſiones, aut gangraena, imo quandoque mors ſupervenire poſſent. Quodſi autem ſaepius dictae oſſium luxationes a cauſſa interna, v. gr. a fibrarum laxitate, aut ligamentorum muſculorumque nimia debilitate originem traxerint, licet in hoc caſu facillime eiusmodi oſſa interdum reponi patiantur, eorundem tamen in loco ſuo ordinario retentio erit difficillima. Hinc ſi fauſtos exſpectare velimus ſucceſſus, pro diverſitate cauſſarum diverſimode inſtituenda erit membrum retinendi ratio Si itaque a debilitate fibrarum enatam eſſe luxationem Chirurgus recte iudicat, atoniae huic, ſub certo quidem reſpectu, per ſtrictiorem et arctiorem faſciarum applicationem, ne pars laeſa, prout facillime alias contingere poſſet, denuo elabatur, ſuccurrere omnino debet, hinc absque metu et periculo vincula magis fortiora, ſub hiſce circumſtantiis, applicari poſſunt.

§. LVI.

Verum antequam faſciae applicentur, neceſſe erit, ut roborandi et diſcutiendi fine Splenia liquidis ſpirituoſis imbuta, e. gr. Spirit. Vini camphorat. crocat. Spirit. matrical. l'eau d'arquebuſade, vino calido auſtero aut oxicrato ebria, articulo imponantur. Dantur quidem nonnulli, qui multum virtutis, hoc in caſu, tribuunt Emplaſtris, ſpeciatim Emplaſtro de Betonica, Dyachil. ſimpl. oxycroc. Defenſiv. rubr. Emplaſtr. ad ruptur. aliisve ſimilibus. Verum parum efficaciae ab eiusmodi emplaſtris exſpectandum eſſe, ex his potiſſimum rationibus, cenſemus, quia non ſolum emplaſtra glutinando nimis anguſtiſſimos cutis tubulos, tranſpirationem partis laeſae inſenſibilem in omni obſtructione promovendam, impediunt; ſed et, quoniam vix probabile eſt, eorundem vires, ſi quas exerunt, ita profunde penetrare poſſe. Maximum ergo in idonea faſciatione atque ligatura rite applicata, non omiſſis topicis ſupra dictis convenientibus, quaerendum erit huius afflictionis auxilium.

§. LVII.

Spleniis aliisque (§. antec.) rite applicatis, os recenter repoſitum tam diu faſciis in ſede ſua retinetur, donec illud rurſus bene obfirmatum ſit. Nolumus autem hic, praeter neceſſitatem, de faſciarum applicatione prolixam tradere expoſitionem, cum earundem in variis Chirurgiae Scriptoribus proſtent ſat multae deſcriptiones et delineationes. Id tantummodo hic adiicere licebit, ad Deligationem gravium Luxationum duplicem requiri faſciam, *Continentem* nimirum, quae ſplenia ac deligationis apparatum firmiter tenet, et hinc etiam nomen accepit. Altera vero, quum ratione *formae*, ipſiusque applicationis *modi*, qui pro diverſitate Articuli, aliarumve circumſtantiarum diverſimode inſtituitur, variet, hic proprie determinari nequit. Ita in luxatione oſſis Humeri et Femoris faſciam adhibemus, quae ab eius circumductionibus, ſpicam ſecalem referentibus, vulgo *Spicae* nomen ſortita fuit. Et contra in Luxatione Articulorum per Ginglymum coniunctorum, meliori cum ſucceſſu, faſcia utimur peculiari, *Dolabra* dicta. Porro differt faſcias applicandi modus in luxata Maxilla inferiori, in dislocatis Spinae Vertebris, et ſic in reliquis.

§. LVIII.

Deligatione (§. antec.) facta, pars laeſa decenti modo aliquandiu in quiete eſt ſervanda. Quomodo vero conveniens eiusmodi ſitus et quietis ſtatus ſit determinandus, hic quoque ſpecialius, ne Diſſertationis limites transgrediamur, pertractare haud licet. Reſpicit enim ille modo totum corpus, praeſertim ubi Luxatio in Trunco contigerit, modo ſolam partem luxatam. Sic in Extremitatibus ſuperioribus ſuſpenſio in mitella triangulari, quandoque etiam ſeſſio commendatur; in inferioribus autem incubatio in lecto ſaepius locum habet. In genere autem notandum, partem luxatam ita ſemper eſſe ponendam, ne muſculi tali articulo deſtinati nimis ad actionem concitentur. Requiritur potius hoc in caſu quietis, et quantum poſſibile eſt, aequilibrii ſtatus, adeoque ne nimis flectantur, nec ultra modum extendantur muſculi, ſemper obſervandum erit. Vt porro recurſus ſanguinis per vaſa non impediatur, collocatio membri luxati neutiquam

fiat

fiat in linea perpendiculari, alias enim facillime fit ſanguinis accumulatio, unde tumores, inflammationes, abſceſſus &c. ſaepius originem ſumere, experientia docemur. Eadem haec regula notanda occurrit in Luxatione a cauſſa interna, et imprimis a Ligamentorum laxitate producta. Membra enim tali modo luxata haud difficulter, ob pondus ſuum, rurſus excidere inclinant.

§. LIX.

Faſciarum ſolutio, niſi gravia Symptomata ſuperveniant, ante ſextum vel octavum diem nunquam eſt ſuſcipienda; et quando nullus dolor vel inſignis inflammatio aegrotum urgent, ſequentes deligationes paululum ſtrictiores eſſe poſſunt, quae tam diu reiterandae, donec tandem articulus iterum iuſte ſit obfirmatus. Id quod plerumque in parvis ac ſimplicibus Luxationibus intra XIV. circiter dierum; in mediocribus Luxationibus intra XX. dierum ſpatium obtinetur. In Luxationibus vero partium robuſtarum, e. gr. in Femore et Tibia, raro ante diem trigeſimum vel quadrageſimum deligatio penitus omitti poteſt. Convenit autem maxime ſub qualibet nova deligatione, membra talia, caute tamen movere, ne tandem Articuli, durante nimis diu quiete, immobilitas ſeu Anchyloſis ſubſequatur; id quod praecipue neceſſarium eſt, in luxationibus cum fractura aut vulnere prope articulum complicatis, in quibus, niſi dicta cautela obſervetur, Humor ſaepius laudatus articulis lubricandis dicatus, indureſcere tandem conſueſcit.

§. LX.

Licet vero quam plurimae Luxationes ſola debita deligatione, et ſine ulla topicorum, ſeu externorum Remediorum applicatione perfecte reſtitui facile queant; nihilominus tamen haud raro contingit, ut illas tam prava ſymptomata comitentur, quae, niſi in tempore avocentur, maxima pericula, imo quandoque mortem poſt ſe trahant. Vt itaque *tertiae Indicationi* (§. XLV.) ſatisfaciamus, a Tumore inflammatorio, qui fere omnium luxationum concomitans eſt, initium faciemus. Medicamenta autem externe hic applicanda, ita comparata eſſe debent: 1) ut per ea promoveatur fluidorum, in ſpecie globulorum ſanguinis in-

cuneatorum reſolutio. 2) Vt partes ſolidae, imprimis vaſa arteriosa minima a ſanguine dilatata repleta et expanſa, roborentur, et leniter ſtimulentur, quo facilius ſeſe reſtituere et ſanguinem ad venas propellere valeant. Impetratur id medicamentis ſpirituoſis, epithematibus calidis atque vinoſis, ſingulari cum circumſpectione ac diligentia applicatis: quo pertinet Spirit. Vini ſimpl. camphorat. crocat. myrrhat. Spirit. matrical. formicar. lumbric. terreſtr. &c.

§ LXI.

Hiſcę utiliter iunguntur Fomentationes cum Vino paratae, quarum ingredientia eſſe poſſunt HB. Abrotan. Meliſſ. Menth. Betonic. Origan. Serpill. Polii montan. Hyſſop. Salv. Roriſmar. Abſynth. Scord. Artemis. Rut. Lavendul. Maioran. Flor. Chamomill. ſimpl. et Roman. Sambuc. Melilot. Roſar. &c. Vel parantur quoque ſacculi ex eiusmodi Ingredientibus, qui, uti antea dictum, vel cum vino coquuntur, vel ſolummodo vino calido imbuuntur et paululum tantum madidi imponuntur. Proinde etiam V. S. praecipue in plethoricis, cum fructu eſt inſtituenda, ut ſtaſeos inflammatoriae augmentum hac ratione impediatur. In temperamentis autem ſiccioribus, ubi ſimul ingentes dolores adſunt, magnum interdum affert emolumentum Oleum Lumbric. terreſtr. camphora maritatum, Oleum Myrrth. Vngt. de Althea &c. Reliqua vero pinguia, et Olea craſſiora, ab Auctoribus ſpecifice hinc inde commendata, caute, minimum non unice ſunt in uſum vocanda, quia poros obſtruunt et tranſpirationem inſenſibilem retinent. Quod ſi tandem pars ita laeſa, ab imperitis Chirurgis, ſub ſpleniorum et faſciarum applicatione ultra modum ita fuerit ſtricta, ut liber ſanguinis per vaſa ligata progreſſus fieri nequeat, adeoque aegrotans in inflammationem incidat, quam citiſſime pars affecta ab iſtiusmodi fortiori ligatura, ut liberetur, neceſſe erit, alias enim ne optima quidem Reſolventia morbum tollere, ſed potius periculoſiſſimas et gangraenoſas inflammationes exinde naſci, ratio ſuadet et experientia docuit.

§. LXII.

Vbi vero Luxatio ante repoſitionem iam diu inveterata, vel a

laxi-

laxitate ligamentorum et partium muſculoſarum orta fuerit, frictiones cum ſpirituoſis (§. LX.) laudatis, in tali caſu, ſub certa fauſti ſucceſſus ſpe, inſtitui poſſunt. Sic ad eundem finem ab antiquitate quoque commendantur Olea deſtillata empyrevmatica, e. gr. Ol. Cerae. Philoſoph. Bacc. Iuniper. Lign. Iunip. Guaiac. Petroleo commixt. His omnibus tamen adhuc iungendae veniunt Fomentationes ſubadſtringentes et roborantes, quae cum vino aut aqua Calcis vivae ordinarie parantur, et lenem ſtimulum in partibus ſolidis excitando, robur amiſſum egregie reſtaurant, hinc pro convenientiſſimis in omni Luxatione et ruptura, a fibrarum debilitato tono orta, habentur medicamentis. Ingrediuntur frequentiſſime eiusmodi fomenta Radices et Herbae adſtringentes, aromaticae, fragrantes, nervinae, reſolventes, in quibus ſimul Sal volatile deliteſcit, quales ſunt: Rad. Caryophillat. Ireos Florent. Ariſtol. rotund. Zedoar. Imperat. Carlin. Bryon. HB. Sanicul. Scord. Rut. Abſynth. Abrotan. Serpill. Origan. &c. Flor. Schoenant. Stoechad. arabic. Rorismar. Lavendul. Roſar. aliaeque iam (§. antec.) recenſitae. Neque etiam horum medicamentorum uſus eſt ſpernendus in eo caſu, ubi ſimul pars luxata cum tumore oedematoſo complicata deprehenditur; ſi modo pro diverſa morbi et temporis ratione, prudenter adhibeantur eiusmodi medicamina.

§. LXIII.

Hiſce perſpectis, ponamus nunc, affectus noſtros pro fonte agnoſcere vel excreſcentiam extremi oſſis fungoſam, aut aliam huius generis in Articulo depoſitam materiam; cura eiusmodi Luxationum feliciter inſtitui haud poterit, niſi antea cuilibet harum cauſſarum convenientia opponantur praeſidia, iisdemque remotio dictarum cauſſarum, quantum poſſibile erit, urgeatur. Ex quo facile patet, indicationes ſpecialiores, pro diverſitate cauſſarum, diverſimode eſſe formandas. Appropriata itaque medicamenta interna, imprimis ſi a Scorbuto, Lue venerea, aliisque eiusmodi gravioribus affectibus comitatur luxatio, eo potiſſimum debent dirigi, ut humores impuri, ſalſi, acres, partim evacuentur, partim diluantur, invertantur ac temperentur, tena-

ces autem et viſcidi diſſolvantur, occluſi oſſium meatus reſerentur, et tandem univerſum partium nervoſarum ſyſtema valde debilitatum, corroboretur.

§. LXIV.

Sunt autem remedia dictae (§. antecedente) humorum dyſcraſiae generaliter opponenda: Infuſa et Decocta aquoſa, ex Radicibus Chin. Bardan. Sarſaparill. Vincetox. Pimpinell. alb. Angelic. Ari, Scorzoner. Gramin. Glyzyrrhiz. Cichor. Herb. Marrub. alb. Agrimon. Meliſſ. Betonic. Scolopendr. Rut. murar. Scabios. Veronic. Rub. tinctor. Saponar. Fumar. Teucr. ver. Pulmonar. Heder. terreſtr. Hepatic. ſtellat., HB. et Flor. Arnic. Bellid. Tuſſilagin. Sumitat. Pini, Lign. Saſſafr. Guaiac. Cort. Tamariſc. &c. parata; bis vel ter de die, in proportionata quantitate, haurienda. Quibus adhuc iungi poſſunt Tinctur. Antimon. acr. tartariſat. Liquor Terrae foliat. tartar. Eſſent. Succin. Pimpinell. alb. Vincetox. Ariſtoloch. rotund. Lignor., interponendo ſimul Purgantia, imprimis mercurialia, utpote quae in reſolvendis et attenuandis viſcidis, tenacibus et mucoſis humoribus omnibus aliis palmam praeripiunt. Exhibentur ea commodiſſime cum Extractis antiſcorbuticis: Cochlear. Fumar. Trifol. fibrin. et Gummatibus reſolventibus: Sagapen. Ammoniac. Iuniper. in formam pilularum redacta, et intra dies X. vel XII. ſemper repetita. Praecipua autem in ſcorbuticis praeter reliqua antiſcorbutica virtute ſplendent, Cochlearia et omnes Naſturtii tam hortenſis, quam aquatici ſpecies, Beccabunga, Raphan. ruſtican. Sinap. et huius generis alia, quippe quae ob ſubtiliſſimum, quo pollent principium ſalino-ſulphureum in reſolvendis mucoſis humoribus, quales in Scorbuto ſic dicto frigido deprehenduntur, egregie ſeſe gerunt. Exprimitur ex illis quoque ſuccus, qui debito cum vehiculo, uti eſt Serum lactis, decoctus, aegrotantibus cum euphoria propinatur. Alii dicta vegetabilia cum alimentis miſcent, et iuſculis ac brodiis carnis incoquunt, imo etiam, pro circumſtantiarum ratione, cum ſaccharo Conſervas ex iis conficiunt, quae uti reliqua iudicio Medici relinquenda ſunt.

§. LXV.

His, quae ad generalem curandi methodum (§ LX—LXIV.) pertinent, expoſitis, reliquum eſt, ut adhuc quaedam de Anchyloſi, Luxationes haud infrequenter ſubſequente, ſubiungamus. Huic autem affectui, ut pro virili parte conſulatur, neceſſitas omnino poſtulat. Primum ergo in Anchyloſi profliganda locum occupant Linimenta ex lenientibus, diſcutientibus et roborantibus parata, ſpeciatim ex Axungia Viperar. Caſtor. Erinac. Vulp. Pingued. human. Ol. Chamomill. Aneth. Rut. Hyperic. coct. Sapon. venet. Porro, ſi imprimis malum hoc recens, nullaque plenaria humoris Haveriani induratio adſit, ex ſpirituoſis omnes ſpiritus nervini et volatiles, iam ſupra (§. LX.) laudati, cum ſimilibus Oleis deſtillatis maritati, conducunt. Quorſum etiam pertinent frictiones cum iisdem ſpiritibus et oleis inſtitutae. In graviori autem, magisque inveterato malo, praeter haec recenſita auxiliorum genera, commemoranda ſunt Balnea tum artificialia, tum imprimis naturalia, utpote quorum egregiam virtutem in hoc caſu experientia quotidiana, innumeris iam exemplis confirmavit. Inſignem tunc quoque effectum praeſtabunt embrocationes, cum eiusmodi thermis inſtitutae, quibus pariter ac cum ſimpliciſſimis aquae tepidae frequentioribus ſtillicidiis Anchyloſes, caeteroquin admodum rebelles, penitus ſublatas eſſe, teſtatur Mſr. le DRAN dans les Obſervations de Chirurgie (*).

§. LXVI.

Vbi tandem omnibus cautelis probe obſervatis, pars luxata in loco ſuo ordinario retineri nequit, repoſitio iterum iterumve eſt tentanda. Quando autem hoc non obſtante pars luxata, prout ſaepius contingit, ſemper rurſus prolabitur, vehementioribus extenſionibus, quales veteres cum Scamno HIPPOCRATIS aliisque crudelibus Machinis inſtituere, miſer aegrotans non

(*) *Tom.* II. *Obſervat.* 93. et 94.

non eſt excruciandus, tantum enim abeſt, ut harum ope reſtitutio melior fiat et facilitetur, ut potius ingentes dolores, inflammationes, ſugillationes, Ligamentorum et Tendinum dilacerationes, aut nimiae relaxationes, aliaque innumera inde producantur mala. Hinc ſi os frequentius e ſede ſua rurſus excidat, abſtinendum eſt ab ulteriori violenta extenſione, pars potius aliquandiu in quiete ſervanda, et tam diu roborantibus Medicamentis, ut Spiritibus volatilioribus, Fomentationibus vinoſis, frictionibus et balneis (§. LX. et LXV.) tractanda, donec dolor remiſerit. His enim rite ac circumſpecte adhibitis, caput oſſis extra ſitum naturalem quandoque ſe movere aſſueſcit, et aegri, licet non ita libere et perfecte, ex parte tamen membro ſic morboſe conſtituto uti poterunt. Haec de Luxationibus generatim dicta ſufficiant.

ERRATA:

p. 8. l. 17. lege perrepente, et l. 18. l. obducente. p. 22. l. 12. l. conſulueris. p. 32. l. 4. l. diverſitate.

NOBILISSIMO CLARISSIMOQVE

DNO. IOANNI GEORGIO DEGGELLERO

VTRIVSQVE MEDICINAE CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

VEhementer laetor, CLARISSIME DEGGELLERE, quod hoc ipſo et animi mei in TE propenſionem et TVAM ubique apud nos Muſis datam induſtriam publice teſtandi occaſionem nactus ſim exoptatiſſimam. Ex eo enim tempore, quo in alma hac Fridericiana vitam degiſti academicam, nil unquam eorum omiſiſti, quae ad verae et perfectae eruditionis, cum morum elegantia coniunctae adquiſitionem, pertinent. Satis id probat ac teſtatur praeſens hoc de LVXATIONIBVS, TVO marte ita docte elaboratum ſpecimen inaugurale, ut pauca mutanda paucaque addenda duxerim. Quapropter

G TI-

TIBI, a nobis mox abiturienti, de edito eruditionis TVAE inſigni ſpecimine pariter ac de honoribus merito TIBI conferendis, animitus gratulor, Numenque ſupplex veneror, velit conatus TVOS tam fauſtis porro coronare ſucceſſibus, ut omnes in ſui gloriam, patriae commodum, aegrotantium ſalutem, TVVMQVE proprium cedant emolumentum. Vale. Dabam Erlangae D. XXVII. Novembris M DCC XXXXV.

Ich möchte, **wehrter Freund!** zu **Deinem** Ruhm was ſchreiben
Wie **Du** es würdig biſt, und meine Pflicht mich heiſt.
Wo aber fang ich an? Wo ſoll das Ende bleiben?
Soll ich den groſſen Fleiß, den wohlgeübten Geiſt,
Die Tugend, den Verſtand, die wunderſeltne Gaben,
Kunſt und Beſcheidenheit und was ſonſt edel iſt,
Auch **Dir** zur Ehr gereicht, zu meinem Vorwurff haben?
Doch weiß ich gar zu wohl, wie **Du** geartet biſt.
Es kan ein ſchwaches Lob die Demuth leicht verlezen,
Die Worte gelten nichts, da wo der wahre Ruhm
Selbſt von den Werken komt. Doch dieſes darf ich ſezen,
Daß **Dir** der Ehren-Cranz, den Hyge'ns Heiligthum
Zu wohlverdientem Lohn hat um **Dein** Haupt gewunden,
Mit allem Recht gebührt. So blühet nun **Dein** Glük,

Und was ſich mancher wünſcht, das haſt **Du** ſchon gefunden,
Das übrige folg't nach, durch göttliches Geſchik.
Ein Wunſche macht den Schluß: **Dein** Ruhm muß höher ſteigen,
Daß Brüder ſich vor **Dir**, ja ſelbſt die Väter neigen.

Zu geneigtem Andenken wolte dieſes dem Hoch-Edlen Herrn *Doctorando* glükwünſchend beyſezen

M. G. P.

Ich darf **Dich**, **Herzens-Freund**! nicht nach Verdienſten loben,
Da **Dich Dein** Werk bereits auf einen Grad erhoben,
Der Glük und Ruhm gebiert. Ich ſehe freudig an,
Wie **Dein gelehrtes Haupt** mit Lorbeern prangen kan.
Erhalte nur das Band, mit dem uns ſüſſe Stunden,
Ein höheres Geſchik, Land und Natur verbunden.
Dis hofft, dis bittet **Dich**, dis wünſchet ſich mein Sinn,
Drum ſchreibet, **Freund**! mein Kiel nur dieſe Worte hin.

I. C. Ott,
Med. Cand. Opp.

So bahnt, was andre ſtrauchlend ſtürzt,
Dir, **Freund**, den Weg zu neuen Ehren,
Was ſonſt die Glieder ungleich kürzt,
Dient **Dir** zum Vorwurf ſchöner Lehren;

So

So kan **Dein** Wiz bey lockern Fällen
Die Lehr auf feſte Gründe ſtellen;
Dann nichts iſt **Deinem** ſcharfen Kiel,
Und der geſchickten Hand zu viel.

Deswegen hat Hygeens Hand,
Weil **Du** die ſtillen Abendſtunden
Zu ihren Ehren angewandt,
Dir einen Lorbeerkranz gewunden;
Du haſt zu **Deinem** Selbſt-Vergnügen
Izt einen höhern Grad erſtiegen,
Nun trägt **Dein** Fleiß den ächten Lohn,
Gelehrter Freund, mit Ruhm davon.

Jezt ſteht **Dein** Glück auf feſtem Fuß,
Weil ſelbſt ein Spalt gelähmter Knochen
Ihm zur Befeſt'gung dienen muß,
Nun wird es nicht mehr unterbrochen:
Wird es ſo lange wachſend ſtehen,
Bis wir die ſpätſten Jahre ſehen,
Und **Du** im vollen Flore ſeyn,
Dann trift mein frohes Wünſchen ein.

Mit dieſem wenigen empfiehlet ſich dem Herrn
*Doctorand*en zu geneigtem Andenken

Jac. Frid. Iſenflamm,
Der Arzney-Kunſt Befliſ-
ſener. Opponens.